Albinus Claudius

AELIANI
DE VARIA HISTORIA
LIBROS XIIII IACOBVS LAV
REVS VENETVS E GRAE
CO IN LATINVM
VERTEBAT.

ADIVNCTA EST ET ODE PIN
dari, quæ inſcribitur in Hieronem Ce=
lete. ab eodem Heroico carmi=
ne donata.

Cum Indice copioſiſsimo rerum notabilium,
quæ in eis leguntur.





IN VINETIA APRESSO GABRIEL
GIOLITO DI FERRARII.
M D L.

IACOBVS LAVREVS MARCO ANTONIO IVSTINIANO HIERONYMI P. F. S. P. D.



OMANORVM, exterarumq́; gẽtium non tam praeclara in daminiſtratione bellicarum rerum conſilia, & egregiam animi ſolertiam, quàm domeſtica dicta, & facta, quae apud alios ſcriptores latius patent, Aelianus ab illuſtribus, antiquiſſimisq́; uiris delecta elegantiſſime quatuordecim libris cõplexus eſt. Quam in re quantum breuitate praeſtiterit iis hiſtoricis, qui apud caeteros preſſiſſime locuti dicũtur, hinc omnes intelligunt, ꝙ quicquid ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diogene, & Plutarcho, quem ego bonum hiſtoriae parentem appello, caeterisq́;, quos

feliciora aliquãdo ſecula edidere, ſcriptoribus copioſiſsime pertractatur, hoc ueluti Homerica Ilias breuiſsimo nucis cortice cõcluditur. Ea enim quæ domi ornamento in ſententiis dicendis, & conſeruanda legum æquitate, foris in adminiſtranda re militari, in obeundis rite legationibus preſidio eſſe poſſunt, hic ſtrictim, & erudítiſsime cõmemorantur. Quanta uero uenuſtate omnia explicet, quæ aduarios gentium ritus, ad excitandos ad omne uirtutis genus homines ſpectant, facilius ex Aeliano dicente percipimus, ꝙ oratione noſtra recenſeri queat. Huc accedit, ꝙ Romanorũ, Athenienſium, Lacedæmoniorũ, cæterorumq; barbarorum, tam regum, ꝙ priuatorum hominum inſtituta, et mores mirabili quodam artificio, et iucũda uenuſtate complectitur, ut nõ Romanum hominem,

ſed Laconem iocoſum agnoſcas. Quæ omnia & ſi propter ea, quæ prædiximus, maxima ſunt, propter uarietatem tamen penè incredibilem, & hiſtoriæ dignitatem magnifacienda uideo. Illud quoq; debet mirum uideri, q̃ Romanus homo, qualem Suidas, & Philoſtratus fuiſſe Aelianũ memorãt, alienis uerbis, adeo diſerte hiſtoriam cõſcripſit ut, μελίγλωσσος, et μελίφθογγος dictus fuerit. Scimus quidẽ inter Romanos homines T. Gracchũ P. F. orationem græcam habuiſſe, & A. Albinum græce hiſtoriam ſcripſiſſe M. Cicero tradit, omnibus tamẽ, qui in hiſce ſtudijs diutius uerſati ſunt, Aelianus mea ſententia præſtitit. Quã ego laudẽ magis ingenij, & laboris, q̃ alterius rei propriã puto. Sed quid ego hæc uerboſius? præſertim cum Aelianus ipſe anguſtiſsime (ut ita dicam) et

ueluti terminis quibusdam inclusus dis
seruerit? Illud quidē uelim sic habeas
MARCE ANTONI, me cū pri
mum sponte mea ad hanc prouinciam
suscipiendam inflāmatum, Franciscus
Robortellus Vtinēsis optime de Rō
manis, græcisq; hoībus meritus acrio-
ribus etiā stimulis incitauit, statim om
nibus lætitijs affectum esse, q; uidebā
oblatam mihi tandem à Dijs immor-
talibus occasionem, qua animum in te
meum, Perpetuamq; obseruantiā cla
rius quàm antea cognosceres, ut si nō
eadem liberalitate, qua tu me, præter
dignitatem meam complecteris, te re-
muneratus essem, saltem uoluntatis
alacritatem non defuisse putares.
Præterea & aliud me assecuturū spe
rabam, q; maiori mihi, & suauiori
admirationi uidebam fore tam diser-
ti scriptoris monimenta, si alijs hanc

meam lætitiam, & , si non utilitatem omnẽ, quæ undiq; sese offert, saltem particulam impertuissem. Id quod à Tarẽtino Archyta solitum esse dici M. Cicero tradit. Cum igitur nos MARCE ANTONI *Aelianũ hunc è Græciæ sinu ueluti transfugã quendam in Italiã reduxerimus, tutiorẽ, ornatiorẽq; fore credidimus apud eos, à quibus uiuẽs uisus est defecisse, si tu tanquam bonus orator, & fidelis patronus eius causam suscepisses. Neq; solũ, mihi crede, generis tui amplitudo, quæ iam inde ab optimo illo legumlatore initiũ duxit, eum ab iniuria hominũ defendet, sed etiam dignitatis, & humanitatis tuæ lux ornamẽto, & præsidio esse poterit. Nos iacẽtẽ erexinus, fac quæso, ut maiorũ tuorũ authoritate diutißime in eodem statu cõseruetur. Nos tenebris inuolutum in lu*

cem edidimus, noli tu cõmittere, ut benignitatis tuæ ſplendore deſtitutus uideatur. Nos præneſtina ciuitate, quæ hominis olim propria fuit, & Romana iterum donauimus; effice tu, ut ſententiæ tuæ grauitate, cõtẽptis maleuolorum uoculis, & tacita obtrectatorũ admurmuratione tuto ꝑ Italas urbes diuagetur, et ulterius etiam, ſi libeat, progrediatur. Scimus olim totam domũ tuã feliciter pro ſalute, & gloria imperij Veneti extinctam reuixiſſe, & paulopoſt ijsdem uirtutis ornamẽtis adiutam ad id amplitudinis peruenisse, quod & præſens ætas ſupremũ arbitratur et futura ſecula admirabũtur. Quare meminiſſe te puto, eos, qui diutiſſime calamitates aliquas, & miſerias pertulere, ſolitos ad eos potiſſimum confugere, quorum uirtus nulla unquam tẽporũ iniquitate, nullis for-


tunæ ictibus prosterni, aut labefacta ri potuit. Nõ scribo hoc temere. Noui animi tui moderationẽ, Noui incredibilem firmitudinẽ, Noui eximiam prudentiam, quæ non modo tibi aliquando turbulentis, & periculosis tẽporibus adiumẽto fuit, uerum etiã cæteris admirationi. Eas enim temporum procellas, insperatosq; euẽtus, quorum memoria mihi ipsi acerbissima est, non potuisse sine maximis uirtutis præsidijs, sustineri facile intelligo. Quare cum hæc omnia quæ mihi optime nota sunt, Aelianus noster non ignoret, cũ non modo recentiorum hominum, sed etiam exterorũ, quemadmodum uides, præclare res gestas usu, & doctrina perceperit, non est tibi committendum, ut ei, qui diu barbarorum fluctibus iactatus ad te ueluti in portum tutissimum confugit, liberalitas tua defuisse

uideatur. Peto igitur à te pro incredibili mea erga te obseruãtia, ut, quidquid laboris alacriter pro aliena utilitate, & commodo suscepimus, id totum mansuetudine, & authoritate tua complectare, ac foueas, ut reliqui, ad quos scripta hæc peruenient, non grauentur nos in fidem suam recipere. Id quod fore confido, si tibi, quem rerum usu, & literarum studijs excellentem omnes intuentur, ea non displicuisse sensero. Vale. Venetijs. Calendis Decembris. 1549.

AELIANI DE VARIA HISTORIA

LIBER PRIMVS.

De polypo.





OLYPI *uentre sunt uoracißimo, & quodcunque audißime comedunt, adeo ut nec à suo quidem genere abstineāt, sed minor captus à maiore, & in firmiora retia, quæ d cuntur piscis ipsius capilli, illapsus, cibum illi præbeat.* Insidiantur *quoque polypi piscibus hoc modo. Petris adhærentes, & illarum colorem imitātes, pisces, qui eò tanquàm ad petram adnatant, incautos suis ipsorum retibus, hoc est brachiorum flagellis includunt.*

De phalangibus.

Phalanges neque texendi artem, neque ea, quæ ad Mineruam spectant, didicere, aut discere uolunt. Nam *quem amabo usum huiusmodi uestimenta tali feræ apportarent? Eius autem uestimentum est rete, & laqueus quidam paratus ijs, quæ cadunt. hæc enim quiescens, & ueluti immobilis retia obseruat & quodcunque ceciderit, à rete circumplicatum, escam illi exhibet. id autem consueuit cadere, quod & tela ipsa potest sustinere, &*

ei ad uictum satis est.

De Aegyptijs ranis.

Ranarum Aegyptiarum genus prudens erat, (nam & cæteris magnitudine longe præstāt) si enim forte rana inciderit in hydrum Nili alumnum, calami frustum apprehendit, strictumq; mordicus, & obliquum tenet, hydrus iterum, atque iterum expertus ipsam unà cum calamo deuorare, cum ore longitudinem illius capere nequeat, tandem ranarum prudentia uincitur.

De cane Aegyptio.

Neq; uero Aegyptij canes prudētiæ omnino expertes sunt, hi enim non collecti, neque palàm, neque libere ex fluuio bibunt, inclinantes se, & quantum extinguendæ siti satis sit, lambentes, sed cum timeant eas, quæ in ipso degunt, feras, ripam prætercurrentes, raptorum more bibunt, atque ita per interualla saturantur, sitiq;, & saluti eodem tempore consulunt.

De uulpe marina.

Vulpes non solum terrestre est animal dolosum, sed & marinum maxime callidum, escam enim minime suspectam habet, neque ob intemperantiam deuitat; eadem hamum non reformidat. Nam priusquàm piscator calamum attrahat, consueuit impetu facto funiculum abrumpere, & retronatare, ita ut sæpe duos, & tres hamos deuorarit, neque piscatori optata præda potiri licuerit.

De marinis testudinibus.

Marinæ testudines in terra pariunt, partusq; statim terra obruunt, postea retro in proprias sedes natant, sunt autem adeo ratiocinandi peritæ, ut ex se ipsis quadraginta dies enumerent, quorum spatio partus animati fiunt,

reuersæ igitur rursus ad locum, in quo oua occultarun', terram, quam superiecerunt, effodiunt, & iam mobiles pullos, & ad sequendum idoneos secum abducunt.

De agrestibus suibus.

Sunt & agrestes sues medicinæ, & curationis non imperiti. Nam hi, *si forte per imprudentiam hyoscyamum comederint, posteriora contrahunt, quamuis languide se habeant,* Deinde *conuulsionem patientes, ad aquas tamē proficiscūtur, atq; hic cancris auidißimè saturati morbi remedium inuenere, & se rursus sanos reddidere.*

De phalangio.

Phalangiū ceruis eadem ratione, qua & hominibus, nocet, uita enim periclitantur, quòd si hederam gustarint, quā tamen agrestem oportet esse, nullum ex morsu incommodum sensere.

De leone ægrotante.

Aegrotantem leonem nihil ex alijs omnibus adiuuat præter deuoratam Simiam.

Qua ratione percussæ in Creta capræ se ipsas curant.

Cretēses optimi sunt sagitarij, ita ut capras in summis montibus pascentes feriant, percußis tamē Dictamni *herbæ cibo tela, cuspidesq; omnes è corpore decidunt.*

Quòd mures præsagiunt.

Sunt & mures ex animalibus diuinandi peritis. Nam *putridæ alicuius domus futuram ruinam primi omnium sentiūt, quocirca derelictis proprijs latebris, & cōsuetis domicilijs quā celerrimè aliò ad habitandū cōfugiūt.*

De formicis.

Insitus est etiam formicis quidam, ut aiunt, diuinādi sensus. Appropinquante enim fame, diligentiores sunt ad col-

ligenda & recondenda frumenta, & quæcunque ad ipsarum uictum semina pertinent.

De Gelone.

Gelo Syracusanus somniauit se fulmine percussum, & propterea non obscure, neque leuiter clamauit, tanquam in somno, sed alte, præ timore grauiter exterritus. Canis, qui prope accubabat, clamore excitus, cæpit intente, & minaciter latrare, ex quo factum est, ut Gelo & somno experrectus fuerit, & timore omni solutus.

De cygno.

Aristoteles scribit Cygnũ plures, & pulchros partus edere, adeoq; animi audacia pollere, ut plerunque in iram prolapsi Cygni se ipsos occiderint. Idem tradit Cygnos cum aquilis pugnare, & fortiter resistere, non tamen priores iniuriam inferre. Quòd autem cantus studiosi sint, id diuulgatum est. Ego uero canentem cygnum non audiui, & fortasse neque alius. Creditũ est tamen ipsum canere, & eo præsertim tempore maximè uocalem, & canorum esse, quando ad uitæ metas propius se accedere senserit; Mare traijciunt, & per ipsum uolant, nunquam autem defatigantur.

De columbis.

Colũbas ferunt alternatim ouis incubare. Deinde pullis iã natis mas in ora inspuit, repellẽs ab ipsis, ut aiũt, inuidiã, ne scilicet fascinẽtur: bina parit oua fœmina, primũ mas deinde fœminã pariũt colũbæ omni anni tẽpore, et propterea decies in anno parturiunt. Fertur apud Aegyptios Aegyptias colũbas duodecies parere. Scribit Aristoteles liuiã, à columba differre, columbã enim maiorẽ, liuiam minorẽ esse, & columbam domesticam, hãc uero

non, neq; e marem prius coire, quàm osculatus fuerit illam, fœminas enim non sustinere marium consuetudinẽ, nisi præcesserit osculum. Illud quoq; *addit fœminas secũ inuicem coire, quando marium consuetudine potiri non licuerit, neque aliquid in se ipsas emittere, pariunt oua, ex quibus pulli generantur. Si uero Callimacho credimus, palumbum, frumentatricem, columbam, & turturẽ ait inter se dißimiles. Celebratur apud indos columbas illic esse colore melino. Charon autẽ Lampsacenus iuxta Atho uisas esse columbas albas inquit, quo tempore illic persarum triremes Atho adnauigantes interiere. In Eryce Siciliæ monte, ubi templum est ueneris sanctitate, & ueneratione admirabile, certisq; diebus Erycini Anagogia celebrant, & ferunt Venerem in libyam è Sicilia traijcere, repente emergunt columbæ unà cum Dea peregrinantes. Per reliquum autem tempus magnam harum auium copiam in templo Deæ uersari pro certo creditum est. Achæi quoque Iouem ipsum captum amore uirginis Phthiæ nomine, quæ in Aegio habitabat, se in columbam mutasse memorant.*

De Socrate quando Venenum hausit.

Naui iam è Delo proficiscẽte, cum Socrates morte mulctatus esset, Apollodorus eius familiaris ingressus carcerẽ attulit tunicam sumptuosam, & egregie textam, & pallium non dißimile, rogabatq;, ut tunica, & pallio indutus uenenum biberet, dicebat enim præclaro ipsum funere decorandum, si eo habitu mortuus esset, etenim ornamenta cadaueri gloriæ esse. Hæc Apollodorus, quæ tunc non passus Socrates dixit Critoni, Simmiæ, & Phædoni, male de nobis sentit Apollodorus, si nos eo-

dem cultu post epotum uenenũ sperat fore; Nam si existimat me paulopost infra pedes proiectum non hinc auolaturum, male quidem de nobis sentit.

De quadrigis breuissimis & elegiaco carmine.

Hæc, quamuis sint utilia opera Myrmecidæ Milesij, & Callicratis Lacedæmonij, admirabilia tamẽ uideri possunt. Nã & quadrigas confecerunt adeo breues, ut eas musca alis cooperiret, ijdem Distichum in Sesamo aureis literis inscripserũt, quorum neutrum mea sententia probandũ uidetur. Quid enim hæc aliud sunt, quàm uana temporis consumptio?

De mollibus, & luxui deditis mulieribus.

Non ne pleræq; ex mulieribus nimia luxuria defluxere? in capite enim auream coronam gestabant, pedes Sandalijs uinciebant, auribus inaures magnas appẽdebant, tunicarum partes, quæ ab humeris usque ad manus extendebantur, non consuebant, sed fibulis aureis, & argenteis, ijsq; crebris aptabant. Atque hæc omnia ueteres illæ. Atticarum autẽ fæminarũ luxũ Aristophanes explicet.

De luxu Sybaritarum, Colophoniorum, & Corinthiorum.

Peruagatus est sermo, & iam ad omnes emanauit, nimium luxum Sybaritis, & ipsi Sybari interitũ attulisse. Quæ uero plerisque minus nota sunt, ea à me dicentur. Nam hi sumptuosis uestibus induebantur, & uictus intemperantia turpiter utentes contumeliosè se gerebant. Præterea Bacchiadum magistratus, qui est apud Corinthios, cum ad summum potentiæ ascendisset, propter immoderatum luxum sublatus est.

De Dionysij sacrilegijs.

Dionysius omnia ea templa, quæ erãt Syracusis, expilauit, amiculum Ioui detraxit, & omnem aureum ornatum pondere, ut aiunt, octoginta quinque talentorum. Cum autem artifices timerent ipsum tangere, primus simulachrum confregit. Idem simulachro Apollinis aureos capillos abstulit, cum iussisset ipsum tonderi. Postea cum ad Troezenios naui appulisset, omnes Leucotheæ, & Apollinis pecunias, mensamq; argẽteam deo appositam sustulit, præcepitq; bonum euentum ipsi propinare.

Qua ratione Ismenias inuerecunde proiecerit se ad pedes regis persarum.

Non omittendum censeo prudens simul, & Græcum Ismeniæ Thebani factum, qui cum legatus à patria ad regẽ Persarum missus esset, cuperetq; cum Persa de ijs, quorum causa uenerat, colloqui, quidam tribunus militum, qui & ad regem nuntios importabat, & supplices introducebat, ò hospes Thebane, inquit, (hæc autẽ iocose per interpretem dicebat Tithraustes, id enim erát nomẽ tribuni) lex est apud Persas, ut ne quis prius cũ Rege colloquatur, quàm se ad illius pedes proiecerit. Quòd si ipse uelis cum Rege agere, ea quæ legis sunt, facias oportet, sin autem, nostra tibi opera opus est. Tunc Ismenias, duc me, inquit, ingressusq; ad Regem, annulum, quem forte gerebat, digito extractum temere ad pedes proiecit, & cum statim se inclinasset, tanquàm uenerans, rursus illum sustulit, existimatusq; est legi paruisse, atque ita cum nihil præter Græcorum dignitatem fecisset, omnia, quæ uoluit, à Rege impetrauit.

Dona data legatis, à Rege persarum.

Hæc erant dona, quæ à Rege dari consueuerunt legatis ad

se profectis, siue Græci, siue alij essent. Talentũ unicuiq; Babylonium argenti facti, talenta erant phialæ duæ argenteæ. Babylonium autem talentum duas, & septuaginta minas Atticas habet. Dabat præterea armillas, Acinacem, & torquẽ, omnia hæc precij mille Daricorũ Medicam quoq; uestem, que Dorophorice uocabatur.

De Gorgia & Protagora.

Inter ueteres Græcos fama maximè excellebat Gorgias Leontinus Philolai filius, et Protagoras Democriti. Sapientia autem tantum inferiores erãt, quantum pueri uiris. fama enim neq; exacte uidet, neq; audit, ex quo fit, ut interdum gratificans, interdum mentiens in plerisq; grauissime erret.

De certamine orto inter Herculem, & Lepream.

Ex Glaucone Neptuni filio, & Astydamia Phorbãtis natus Lepreas Augeæ consuluit, ut herculẽ uinciret, quo tempore premium certaminis ab ipso reposcebat. Erat igitur, quemadmodum uerisimile est, infensus Herculi Lepreas. Tẽpore autẽ post Iouis filius ad Cauconas profectus precibus Aestydamiæ redit in gratiã cũ Leprea, oritur tamẽ inter illos certamẽ iuuenile, cõtenduntq; disco, de exhaurienda aqua, & uter prior taurum comedet. Vincitur his omnibus Lepreas, præterea & potu concertarunt, in quo Hercules quoq; longe superior fuit. Cum autem Lepreas id moleste ferret, Herculem armatus ad singulare certamẽ prouocat, atq; ita pugnans eorum omnium, quorũ apud Augeam author extiterat, pœnas dedit.

De liberalitate Alexandri erga Phocionem, & Phocionis erga Alexandrum.

Alexander Philippi filius (sicui uero Iouis uidetur, nihil ad me) fertur, cum Phocioni Atheniensium imperatori scriberet, soli ex omnibus salutẽ dixisse. Adeo Phocion Macedonem sibi conciliarat. Præterea talenta argenti centum ad eũdem misit, & quatuor urbium nomina scripsit, ex quibus quamcunque uellet, sibi eligeret, ut prouentibus illius frueretur; erant autem urbes hæ. Cius, Elæa, Mylasa & Patara. Alexander igitur hæc liberaliter, & magnifice, magnificentius tamẽ Phocion, cum & argẽtum & urbem accipere recusarit. Sed ne prorsus regiam liberalitatem aspernari uideretur, rogauit, ut eos uiros, quicunque captiui in Sardium arce custodiebantur, liberos sibi condonaret, Echecratiden, scilicet sophistam, & Athenodorum Himeræum, & Demaratum. erant autem hi fratres Rhodij.

De Aglaidis edacitate.

Audio Aglaida Megaclis filiam tibicinam fictam comam, conumq; in capite gestasse. Assentitur his & Posidippus. Eadem duodecim carnium minas, quatuor panum Choenicas, & uini Choam in cœna absumebat.

De alijs edacibus.


Edaces dicunt fuisse homines Pityrea phrygen, Cambeta lydum, Thyum Paphlagonem, Charidan, Cleonymum, Pisandrum, Charippum, Mithridatem Ponticum, Calamodrun Cyzicenum, Timocreonta Rhodium, athletam simul, & poetam, Cantibarin Persan, & Erysichthona Myrmidonis filium, qui & Canthon, hoc est asinus dictus est. Fertur quoque in Sicilia templum esse edacitatis, & simulachrum Cereris Situs. Fatetur præterea Alcman poeta se uoracißimum fuisse, & Anapilas Co=

quos omnia, quæcunque filius improbe molitus fuerat, diligenter exposuit, petijtq; à iudicibus, ut adolescentem morte mulctaret; Iudices uehementer cōmoti noluerunt condemnare, utrunque tamen ad Artaxerxē Persarum Regem adduxerunt. Cumq; eadem apud hunc Mardus diceret, respōdens Rex, aspicies ne, inquit, æquo animo filium tuum ante oculos occidi? Maxime, inquit, Quemadmodum enim me in horto amaros caules crescentium lactucarum frangente, & tollente, mater lactuca non tristatur, immo magis floret, maiorq;, & dulcior fit, eadem ratione & ego ò Rex, cum uideam ab hoc domum meam iniuria affici, fraternum uictum absumi, crescam, & cum cæteris consanguineis, si eodem beneficio nunc affecti fuerint, uersabor. Quibus auditis Artaxerxes Racocen laudauit, unumq; inter Regios iudices asciuit, dicens apud illos, qui aderant, eum, qui de proprijs liberis seuere censuit, in alienos quoque integrum fore iudicem, & incorruptum. Tunc igitur impunitum dimisit adolescentem minatus grauißimum supplicium, si in posterum in alijs iniuste agere deprehensus fuerit.

AELIANI DE VARIA HISTORIA

LIBER SECVNDVS.

Qua ratione Socrates Alcibiadem audacem reddiderit, ne amplius populum formidaret.



OCRATES *cum Alcibiade hæc locutus fertur. Cum adolescens maxime trepidaret, & in publicis suggestis consistere non auderet, Socrates uolens alacrem reddere, non ne contemnis, inquit, sutorem illum? nomen subijciens. Affirmante Alcibiade, rursus Socrates, non ne & illum, qui in theatro præconium exercet? aut coriarium illum? Fatente & hoc Cliniæ filio, Populus Atheniensium, inquit Socrates, ex his constat. Quòd si singulos cōtemnis, cur collecti non eadem ratione contemnendi sunt? Magnifice hæc Sophronisci, & Phænaretæ filius Alcibiadem Cliniæ, & Dinomaches filium docebat.*

De picturis perperam laudatis.

Cum aliquando Megabyzus picturas quasdam tenues, & minimè artificiosas commendaret, alias uero studiosè elaboratas improbaret, Zeuxidis pueruli, quibus Melinā Cretam conterendi cura data erat, illum deridebant; Zeuxis igitur te, ò, Megabyze, inquit, tacentem pueruli hi admirantur, uident enim uestem, & nimium in cultu

✝ *diutißimè, maximeq́; adoleſcentem dilexit.*

Perſica lex, de ferendis regi muneribus.

Lex eſt hæc perſica maxime ab illis ſeruata. Quoties Perſiam Rex obequitat, Perſæ omnes quiſque pro ſuis opibus munera ad ipſum afferunt, agricolæ, & terræ ſtudio dediti, & operarijuel boues, uel pecudes, uel triticum, uel uinum, nihil autem uile, neque ſumptuoſum: Progredienti autem, et obequitanti hæc ab uno quoque offeruntur, & uocantur dona. Atq; ita Regi uidentur. Minus diuites lacte, palmis, caſeo, maturis fructibus & aliarum rerum agreſtium primitijs præſto adſunt.

De aqua dono data Regi perſarum.

Id quoque inter perſas celebratur Ferunt uirum. Perſam nomine Sinæten procul à uilla ſua incidiſſe in Artaxerxem cognomento Memorem ſtatimq́;, eò quòd domo aberat, timore legis, & obſeruantia in regem perturbatū: Hic igitur cum ignoraret, quid ſibi agendum eſſet, neq; ſuſtineret cæteris Perſis inferior eſſe, aut ignominia notari, quòd regem non donaſſet, profectus ad fluuium præterfluentem Cyrum nomine, quàm celerrime potuit, ambabus manibus aquam hauſit, dixitq́;, ò, Artaxerxes utinam perpetuò Rex ſis, nunc ego te ubi, & quo modo poſſum, honoro, ne abſque munere, quantum in me eſt, pertranſeas, honoro autē te Cyri fluuij aqua. Cum uero ad tabernaculum tuum profectus fueris, domo mea, quantum in me erit, optima, & precioſißima afferens, tibi obuiam ueniam. Neque ab aliquo eorum uincar, qui te muneribus benigne excepere. Ob hæc lætatus Artaxerxes, accipio, inquit, libenter, ò, homo donum, & ipſum tanti facio, quanti ea, quæ maxime ſum-

x quo intelligimus ipsorum amorem à Deo cœlestem, & diuinam amicitiam nominatum.

De temporis distributione, & de uetita apud lacedæmonios de ambulatione.

Incredibilem Lacedæmonij temporis parsimoniam faciebant, semper illud ad ea, quæ urgebant, conseruantes, neque alicui ciui permittentes ignaue, aut ociosè degere, ne illud in ijs, quæ à uirtute aliena sunt, consumptum frustra tereretur. Cuius rei hoc præter alia indicio est. Cum audissent Ephori eos, qui Deceleam occuparũt, pomeridianis deambulationibus oblectari, mandarunt ijs, ne in posterum idem facerent, quòd potius id luxus esset, quàm corporis exercitatio. Opus enim esse lacedæmonios non deambulationibus, sed exercitationibus ualetudinem comparare.

Quod non oporteat multis placere.

Hippomachus, ut aiunt luctandi magister erat cum autem athleta ab ipso edoctus lucta contendisset, deinde uniuersa, quæ circunstabat, multitudo acclamasset, Hippomachus uirga ipsum attigit, dixitq́;, male tu quidem, neque, ut decebat, id fecisti, quod præclarius poterat fieri. Non enim hi laudassent te, si quid artificiosum egisses. Innuens opus esse eos, qui bene, & præclare in unaquaque re se gerunt, non placere multis, sed ijs tantum, qui rei illius peritiam aliquam teneant. Videtur & Socrates in sermone habito apud Critonem multorum iudicium aspernari, quo tempore Criton in carcerem ingressus suadebat fugere, & hac ratione Atheniensium sententiam irritam facere.

Quòd Thebani prohibebantur pueros exponere.

Lex hæc inter cæteras maxime æqua, & humana posita erat apud Thebanos. Thebano uiro non licebat puerũ exponere, neq; in solitudinem accelerandæ mortis causa abijcere. Quòd si infantis pater egentißimus erat, ipsum statim à partu, siue mas, siue fœmina, fascijs inuolutum ad magistratus afferebat. Hi uero puerum uenalem exponentes, ei, qui minimum pecuniæ soluisset, permitebant, pactóq;, & conuentu statuebatur, ut infantem aleret, adultumq; pro seruo, uel serua haberet, atq; illius seruilis opera, & labor mercedis loco, quòd scilicet aluisset, existimaretur.

De Xenocle, & Euripide, qui in olympia decertarũt.

Prima, & sexta Olympiade, qua Exænetus Agrigentinus stadio uicit, Xenocles, & Euripides inter se decertarunt. Et prior quidem fuit Xenocles, (quicunque hic fuit) Oedipode, Lycaone, Bacchis, & Athamante Satyrico. Hoc inferior Euripides, Alexandro, Palamede, Troianis, & Sisypho Satyrico. Ridiculum est autem Xenoclem uicisse, & Euripidem uictum, & præsertim eiusmodi Tragœdijs. Alterutrum igitur fuit, aut iudices imprudentes, & imperiti erant, atq; à recto iudicio alieni, aut turpiter corrupti fuerunt. Vtrunq; autem absurdum, & Atheniensibus minime dignum.

Atheniensium decreta in aliquos, qui defecerunt.

Sed qualia decreuerunt Athenienses in Democratia? Dura quidem. Sciuerunt enim ut Aeginetis pollices præciderentur, ne hastæ ferendæ idonei essent, ne'ue remigio utiles. Mitylenæos quoq; adolescentes ob eandem causam iugularunt autore huius rei Cleone Cleæneti filio. Samijs in captiuitatem redactis noctuæ nota faciẽ inus-

ſtudium. Cum autem aliquid artificioſum dicturus es, contemnunt. Serua igitur te ipſum inter eos, qui laudant, ſilentio utens, neque quidpiam de ijs, quæ minime ad te pertinent, differens.

De Alexandro, qui pro rei dignitate imaginem non laudauit.

Intuitus in Epheſo Alexander ſuam ipſius effigiem ab Apelle expreſſam, illam pro dignitate picturæ non probauit. Cum uero eiuſdem equus ingreſſus eſſet, & ad illum in tabula pictum hinnijſſet, tanquàm ad uerum, Tũc Apelles: ò, Rex, inquit, uidetur hic equus te pingẽdi peritia longe ſuperior eſſe.

De amore Charitonis, & Melanippi, & condolentia Tyranni erga ipſos.

Phalaridis factum non admodum illi familiare commemorabo, declarat enim incredibilem humanitatem, & propterea alienum ab eo exiſtimatur. Chariton erat Agrigentinus homo ſanè elegans, & adoleſcentũ formæ mirifice ſtudioſus, hic ardentiſſimè amauit Melanippum Agrigentinum & animo præſtantem, & forma egregium. Melanippũ hunc Phalaris aliquando iniuria affecit, ipſi enim iudicio decertanti cum quodam ex neceſſarijs Phalaridis iuſſit Tyrannus actionem omittere. Cũ autem hic nõ pareret, mortem minitatus eſt. At ille iudicio quidem ſuperauit eum, qui cogere uoluerat, & acerbo mandato uſus erat. Phalaridis magiſtratus accuſationem omnem, iudiciumq; ſuſtulere. Ob quæ grauiter indignatus adoleſcens ſe iniuria affectum dicens, iræ ſuæ cauſam cum amatore communicauit, rogauitq;, ut uellet ſocius eſſe in opprimendo Tyranno. Præterea

ferunt. Vtinam autem hæc ò Pallas Minerua, ò, liberalis Iuppiter, omnesq́; græcorum Dij, neq; Athenis decreta essent, neq; de Athenienſibus dicerentur.

Timotheus audita Platonis diſputatione ſe minus felicem putauit.

Audio Timotheum Cononis filium, quo tempore ad ſupremum felicitatis iam aſcenderat, & quàm facillime urbes capiebat, neq; ſciebant Athenienſes, quomodo gratificarentur ei ob eximiam, qua illum proſequebantur, admirationem, incidiſſe in Platonem Ariſtonis filium de ambulãtem extra mœnia cum quibuſdam familiaribus, & amicis, intuitumq́; eſſe uirum humerorum latitudine grauem, facie uero mitem, qui non de pecuniarum collatione, non de triremibus, non de ijs, quæ ad nautas ſpectant, non de ſupplemento, non de neceſſario auxilio, non de uectigalibus prouincialium, nõ de inſulanis, neq; de huiuſmodi nugis diſſerebat, ſed de ijs, de quibus agere, & circa quæ uerſari conſueuerat, & tunc Timotheum Cononis filium aßiſtentem dixiſſe, ò, uitam, & ueram felicitatem. Ex quibus manifeſtum erat Timotheum ſe ipſum non admodum felicem arbitrari, eò ꝙ non erat unus ex ijs, de quibus agebat Plato, ſed publica tantum Athenienſium uoce celebrabatur.

Quæ dixerit Socrates de ijs, qui à triginta tyrannis iugulabantur.

Socratem ferunt, cũ uideret illuſtres uiros initio Imperij à triginta Tyrannis occidi, & locupletes inſidijs appeti, Antiſtheni dixiſſe. Eſt, quòd gaudeas, nos neq; graues, aut illuſtres in uita fuiſſe, aut tales, quales cernimus in Tragedijs Monarchas, Atreos ſcilicet illos, Thyeſtas,

Agamemnonas, & Aegisthos. Cum enim hos iugulari, & impia conuiuia celebrare apud Tragicos uideamus, nemo est, qui eos non nouerit. Quis autem adeo audax, aut impudens Tragœdiarum scriptor extitit, ut iugulatum porcum in fabulam introduxerit?

De Themistocle, qui desijt esse prodigus.

Nescio an hoc in Themistocle Nicoclis filio laudandũ sit. postquàm Themistocles abdicatus à patre ; à, luxu, & profusionibus destitit, & uix tandẽ cœpit sapere, omissa meretricum consuetudine, ac mutato amore administrationẽ Atheniensiũ suscipiebat, ardentissimeq; magistratus appetebat, principatum affectans, tunc ad familiares conuersus dixisse fertur.

Nemo inuidet nobis. quid ergo erit mihi?

Quicunque autem amat inuidia haberi, illud assequitur damnum, de quo loquitur Euripides. Hoc autem uanum esse ipsemet poeta exponit.

De Socrate Comicis maledictis ab Aristophane lacerato.

Anyti familiares mirum in modum Socrati insidiabantur, sed qua de causa, ueteres scriptores docuere. Hi quàmuis metuerent Athenienses, ignorarentq;, quomodo accusationem aduersus uirum instituerent (Socratis enim nomen late patebat, cum propter alia multa, tum maxime quòd Sophistas conuincebat, tanquàm nihil ueri, nihil honesti scientes, aut dicentes) decreuerunt tamen periculum facere calumniationis aduersus illum. Cum uerò propter ea, quæ prædixi, apertam accusationem non probarent, uererenturq;, ne Socratis amici irati iudicum animos irritarent, deinde grauius aliquid ipsi paterentur;

tanquàm calumniatores uiri illius,qui non solum nullius mali author esset urbi,uerum etiam Athenis ipsis ornamentum afferret, tale excogitant. Aristophani poetæ Comico,homini improbo,qui & scurra erat,& haberi studebat persuadent, ut in Comœdia ea, quæ de Socrate circunferebantur, copiosius exponeret. Primum quòd loquax,& uanus erat,dicendiq; copia efficiebat,ut inferiores causæ superiores essent, & turpia haberentur honesta, nouos dæmonas introducebat, & tamen neque deos nouerat, neq; uenerabatur, eademq; illos, qui unà uersabantur,edocebat,& persuadebat discere. Aristophanes sumpto argumento ualde specioso, homine scilicet Græcorum optimo, risum, & uarietatem in metris inspersit. Non enim agebatur de Cleone,nõ de Lacedæmonijs,non de Thebanis,non de Pericle ipso, sed de uiro Dijs amico, maxime uero Apollini, de Socrate scilicet. Qua rei insolentia, & inusitato in Scena, & comœdia spectaculo primum Athenienses obstupuerunt, Deinde hæ Nebulæ (hoc enim erat Comœdiæ nomen) iucundissimæ uisæ sunt eisdem natura solitis optimorum hominum probitati inuidere, & non ijs solum, qui in Reip. administratione, aut magistratibus excellunt, sed etiam ijs,qui uel dicendi facultate,uel uitæ integritate cæteris præstant. Poetæ igitur tunc,sicuti nunquàm aliàs, Athenienses applauserunt,& clamore illum uicisse significarunt, iusseruntq; iudicibus in superiori parte Aristophanem collocare,& nõ alios. Atq; hæc fabula continebat. Socrates post id tempus rarò in Theatra prodibat; Siquando autem Euripides Tragœdiarũ scriptor Nouis Tragœdis decertaturus,erat tunc eò se conferebat.

Nec idem desiderabatur, quoties in Piræo poeta recitabat. Oblectabatur enim uiri sapiētia, & carminum præstantia. Contigit autem aliquando, ut Alcibiades Cliniæ filius, & Critias Callæschri propè obiurgantes, et irritantes coegerūt in Theatrum profectum audire poetas, qui tamen illorum uocibus non oblectabatur, immo tanquàm uir modestus, æquus, bonus, & sapiens homines dicaces, iniurios, & mendaces aspernabatur, quam rē ipsi molestißime tulerunt. Et hæc fuerunt aduersus ipsum Comœdiæ semina, neq; solum ea, quæ ab Anyto, et Melito iacta celebrantur. Credibile est autem Aristophanum pro his pecunias accepisse. Etenim cum illi cuperent, uel potius omni ratione studerent Socratem calumniari, non mirum erat poetam & pauperem, & scelestum ob huiusmodi mendacia precium accepisse. Quorum quidem omnium ipse conscius est. Placuit igitur mirifice Comœdia, eo enim tempore, si unquàm aliàs, illud Cratini uerum fuit, ut mentes in Theatro ægrotarint. Sed quoniam Dionysia celebrabantur, maxima Græcorum multitudo ad spectaculum conuenerat. Cum igitur in Scena sæpenumero Socratis nomen circunferretur, & nominaretur, non incredibile, si & inter histriones cernebatur, perspicuum est enim quòd & ij, quibus instruendæ Scenæ cura data erat, Socratem optime effingebant. Peregrini autem, quibus nomen hominis in Comœdia descripti ignotum erat, tumultum inter se excitabant, quærebantq;, quis nam hic esset Socrates. Quod cum ille animaduertisset, (neq; enim temere, aut fortuitò aderat) sciretq; se in Comœdia accusari, (nam in cōspicua Theatri parte considebat) ut peregrinorum

dubitationem

dubitationem tolleret, stans conspiciebatur, dum histriones fabulam agerent. Atq; ita Socrates & comœdiam, & Athenienses contemptui habebat.

De platano amata à Xerxe.

Ridiculus & ille fuit Xerxes, qui Iouis arte, mari scilicet & terra contempta nouas sibi uias, & insolitam nauigationem parauit, uictus est tamen, à, platano, & arborem cum admiratione dilexit. Ferunt hunc in Lydia intuitum insigni magnitudine platanum eo die illic mansisse, usumq; esse pro tabernaculo, solitudine illa platani, ornatum præterea sumptuosum, torques, & armillas appendisse, ramos honorantem, ibiq; curatorem, tanquàm amicæ custodem, & præsidiarium reliquisse. Sed quæ ex his per deos immortales uenustas addita est platano? ornamentum enim illud fucatum, neq; conueniens temere appensum fuerat, cum nihil ad pulchritudinem faceret. Nam plantæ pulchritudo hæc est, robusti rami, frondes multæ, trunci firmitas, profundæ radices, concutientes uenti, copiosa umbra, anni partes reuertentes, & aqua partim per riuulos nutriens, partim cœlitus irrigans. Xerxis autem Chlamydes, & barbari aurum neq; ad platanum, neq; ad aliam arborem faciunt.

De sedibus Ephororum fuligine illitis.

Clazomeniorum nonnulli Spartam ingreßi iniuriose, & insolenter se gessere. Ephororum enim sedes, ex quibus solebant ius dicere, et ciuilia administrare, fuligine asperserunt. Re ad Ephoros delata non moleste tulere, sed per publicum præconem accersitum iusserunt id pronuntiari, quod mirum, & propè incredibile est. Liceat Clazomenijs indecore agere.

De Phocione.

Extat & hoc præclarum de Phocione phoci filio. progressus hic in Atheniẽsiũ concionem, cum eos ingratitudinis insimularet, ualde erudite, & obiurgatorie, Malo, ego, inquit, à, uobis iniuria affici, quàm uos afficere.

De Magorum persicorum sapientia, et Ocho.

Magorum sapientia cæteris in rebus, quascunque ipsis licuit scire, præsertim uero in uaticinijs dignoscebatur. Hi enim Ochi seueritatem in subiectos, & naturam ad cædem procliuem per arcana quædam signa coniectantes prædixerunt. Nam quo tempore Artaxerxi patri mortuo Ochus successit, Magi cuidam ex Eunuchis pro pè astantibus mandarunt, ut instructa iam mensa obseruaret, cui nam rei Ochus prius manus admoueret. hic autem stabat obseruans hoc. Ochus cum extendisset manus, dextra quidem cultellum apprehendit, altera uero unum ex panibus maiorem scilicet ad se traxit. postea eodem cultello sectas carnes immoderate deglutiebat. His auditis Magi duo hæc prædixere, et maximam per totum illius Imperium fertilitatem, & cædes multas. Neq; planè mentiti sunt.

De cœnis sumptuosis.

Timotheus Cononis filius Atheniẽsiũ Imperator omissis aliquando cœnis sumptuosis, & conuiuijs illis Imperatorijs, inuitatus est à Platone ad conuiuium in Academia, ubi cum frugaliter, hilariterq; exceptus fuisset, reuersus ad familiares, et domesticos, ij, inquit, qui apud Platonem cœnant, etiam postero die recte se habent. Hac ratione Timotheus sumptosas cœnas aspernabatur, tanquàm hominem postero die minime exhilarantes. Illud

quoq; dicto huic affine celebratur. Cum postridie in Platonē incidisset, Vos, inquit, ò, Plato magis, meliusq; sequenti, quàm præsenti die cœnatis.

De Alexandro, qui se Deum uocari uoluit.

Quo tempore Alexander Darium superauit, & Persarū Imperium in potestatem suam redegit, elatus, & pro felicitate illa quasi diuinitatis particeps, Græcis Imperauit, ut se Deum decernerent. Ridicule profecto, neq; enim ille ea ab hominibus impetrabat, quæ natura denegarat. Alij igitur alia decreuerunt. Lacedæmonij hæc. Quoniam Alexander Deus esse uult, sit Deus. Laconice quidem, & patrio ritu Lacedæmonij Alexandri temeritatem improbarunt.

De Antigoni regis benignitate.

Antigonum ferunt Regem populi studiosum, & mitem fuisse. Cui uero otium erit alia ipsius facta audire, & quæ humanas uires excedunt, singillatim perpendere, is aliunde intelliget. Commemorabimus igitur ipsius dictum humile, & benignum. Cum Antigonus hic filium suum uiolentius, & audacius se gerentem in subiectos uideret, ignoras, inquit, ò, fili regnum nostrum gloriosam esse seruitutem? Atq; hæc Antigonus apud filium humanißime loquebatur. Qui uero aliter sentit, is mihi neq; regium uirum, neq; ciuilem nosse, immo cum Tyranno uixisse iudicabitur.

De pausania Agathonem poetam amante.

Pausanias qui inter figulos uersatus fuerat, Agathonem poetam amabat, quod quidem omnibus perspicuum est, illud uero, quod minus est notum, explicabo. Accesserunt aliquando ad Archelaum & amator, & amores, erat

enim Archelaus non minus amoribus, quàm doctrinæ deditus. Hic cum sæpe uideret Pausaniã, et Agathonem inter se dissidentes ratus amatorẽ ab amoribus, cõtemni, interrogauit Agathonem, quid causæ esset, quòd tàm frequenter amicissimo succenseret, tibi, inquit, ò, Rex dicam. Neq; gaudeo cum eo contendere, neq; id rusticitatis uitio accidit, si quid uero ego & ex consuetudine ipsa, & ex poesi didici, iucundissimum esse reperò amantibus post dissidia cum amoribus reconciliari. Atq; illud mihi persuasi nihil hoc illis posse iucundius accidere. Hanc igitur uoluptatem, cum sæpe cum eo contendam, sæpe illi impertio, gaudet enim me gratiã cũ eo ineunte. Quòd si æqualiter, & solito modo agam, nullũ dissidium cognoscet. Fertur Archelaus hæc probasse. Eundẽ Agathonem & Euripides poeta amauit, & Chrysippum audio in eius gratiam fabulam conscripsisse. Huius autem rei ueritatem non ausim proferre, quamuis maxime celebretur.

Mantinei legum seruantissimi.

Audio Mantineos legum seruantissimos fuisse, perinde ac Locros, Cretenses, Lacedæmonios, & Athenienses, inter quos maxime excelluit Solon, & si postea paulatim Athenienses leges ab eo scriptas sustulerunt.

Nicodorus cum esset pugil, etiam legislator fuit.

Cum Nicodorus unus ex celeberrimis Mantineorum pugilibus extitisset, postquàm ætate iam ingrauescente artem desijt, leges instituit, multoq; rectius patriam administrauit, & ornauit, quam cum uictor in stadijs publico præconio declarabatur. Ferunt autem Diagoram Melium amatorem conscripsisse illi leges. Quo loco & alia insi=

gniora de Nicodoro prætermittã, ne huiuſcemodi laudibus ſocium uidear Diagoram aſcribere. Quare hæc ſatis. Diagoras enim dijs infeſtus erat, neq; idcirco plura mihi exponenda uidentur.

Quòd Milo corpore robuſtus fuerit, animo uero imbecillis.

Pleriq; Milonis Crotoniatæ celebratum robur, extulerunt, talia de ipſo iactantes. Huic malum tenenti nemo digitis poterat extorquere, ipſius uero amica ſæpe contendens faciliime auferebat. Ex quo intelligimus Milonem corpore firmiſsimum fuiſſe, animo uero maxime imbellem.

Sextum Thargelionis diem Græcis propitium fuiſſe.

Ferunt ſextum Thargelionis diem non ſolùm Athenienſibus, uerum etiam alijs commoda multa attuliſſe. Primum enim Socrates hoc natus fertur, eodemq; Perſæ debellati ſunt, & Athenienſes Dianæ, quæ Agrotera dicitur, trecentas capellas ex uoto Miltiadæ immolant. Eodem ferunt pugnatum eſſe ad Platæas, Græcoſq; ſuperiores fuiſſe. prælιũ. n. illud cuius prius mentionem feci, apud Artemiſiũ cõmiſſum tradũt. Præterea et Græcorũ uictoriam apud Mycalem non alterius diei, quàm huius celebrant fuiſſe, ſiquidem eodem die & apud Platæas, & apud Mycalem uicerunt. Alexandrum quoq; Macedonem Philippi filium eodem die Barbarorũ Myriadas multas deleuiſſe tradunt, quando & Darium debellauit. Quæ omnia eodem mẽſe contigiſſe legimus. Eodem quoq; die creditum eſt Alexandrum natum eſſe, & uita exceſsiſſe.

De hyperbore Apolline, & mira de Pythagora.

Apollinem Pythiũ, inquit Aristoteles, à, Crotoniatis hyperboreum appellari, & illa addit, quòd eodẽ die, eodemq́; tempore Metapontij uisus est à multis, & Crotone in certamine surrexit, ubi & Pythagoras alterum femur aureum ostendit. Idem quoq; scribit Cosam fluuium traijcientem salutatum fuisse, multisq́; salutationem hanc auditam.

Quòd Anniceris dexter erat eques, & quòd is, qui paruarum rerum nimis studiosus est, magnas negligit.

Anniceris Cyrenæus & equitandi peritißimus, & aurigæ officio optime fungens uoluit aliquando Platoni artem ostentare. Quare iunctis currui equis in Academia cursus multos confecit, adeo exacte cursus ordinem seruans, ut, à, priori orbita non discederet, sed eadem semper uia ferretur: ob quod cæteri omnes, quemadmodum uerisimile est, stupore perculsi sunt. Plato hanc nimiam illius curam his uerbis reprehendens, non potest, inquit, fieri, ut is, qui circa parua, & leuia uersetur, studiose, diligenterq́; magna curet. Necesse est enim eum, qui tota mente ad illa incubuerit, horum, quæ admiratione digna sunt, nullam prorsus curam gerere.

Gallorum certamen unde initium habuerit.

Atheniẽses uictoria potiti aduersus Persas lege sanxerũt, ut publice in Theatro certo anni die galli decertarent. Vnde autem lex hæc initium duxerit, exponam. Quo tempore Themistocles ciuiles copias aduersus Barbaros educebat intuitus pugnãtes Gallos exercitum cohibuit, dixitq́; ad suos. Hi non pro patria, nõ pro patrijs Dijs,

non pro indigenis heroibus, non pro gloria, non pro libertate, non pro liberis id laboris sustinent, sed uterq; ne uincatur, ne ue alter alteri cedat. Quibus dictis alacriores effecti sunt Athenienses; Voluit igitur idem signum, quod tunc ad excitandam uirtutem profuerat, & ad similia facta ueluti monimentum conseruari.

Quomodo Pittacus fortunam expresſit.

Pittacus apud Mytilenem scalam in templis extruxit ad usum quidem nullum idoneam, tantum ut donarij loco esset, latenter fortunæ uicißitudinem significans; ut nescio quo pacto felices ascenderent, infelices autem descenderent.

De Platone.

Plato Aristonis filius primum poeticam aggressus heroica conscripsit, deinde cum ea cum Homericis contulisset, longeq́; inferiora sensisset, cõbußit. Aggressus est quoq; Tragœdiam, Tetralogiam confecit, daturusq́; erat histrionibus agenda poemata, sed cum ante Dionysia pertransiens Socratem audisset, illius Sirene semel allectus non solum à certamine destitit, sed à conscribenda prorsus Tragœdia digressus ad Philosophiam se contulit.

Nemo barbarorum impius.

Cui uero Barbarorum sapientia laudanda nõ uideatur? Siquidem ipsorum nemo in impietatem delapsus est, neq; dubitauit, sint ne Dij, nec ne, & nostri ne curam gerant, an non. Nemo igitur neq; Celta, neq; Aegyptius talia sensit, qualia Euemerus Messenius, Diogenes Phryx, Hippo, Diagoras, Sosias, & Epicurus. Ferunt enim prædicti Barbari & Deos esse, & nostri curam gerere & futura significare per aues, signa, exta, & per alias

disciplinas, & scientias. Pleraq; *etiam per somnia, & per stellas prædici aiunt, quæ tamen omnia docentur homines à diuina ea prouidentia, qua nos, nostraq; omnia gubernantur. Atq; his certißime credentes pure sacra celebrãt, caste, sancteq; uiuunt, ceremonijs operam dant, legitima orgia celebrant, cæteraq; perficiunt, quibus* Deos *coli, & honorari creditur.*

Quòd Hercules Heraclides prius dictus fuerit.

Ex *Pythicis oraculis intelligimus* Herculem Iouis, & Alc*menæ filium statim ab ortu* Heracliden *appellatũ esse.* Eundem *aliquot post annis* Delphos *ad oraculum nescio qua de causa profectum illa, quorum causa uenerat, & hæc quoq; à* Deo *audisse.*

Herculis ἡρακλέους *Græci, tibi nomen* Apollo
Imposuit, nanq; ἥρα *feres, & grata per orbem*
Mortali generi, κλέος *hoc est gloria tandem*
Defluet, immortale manet nomenq;, decusq;.

De statutis fluuiorum.

Fluuiorum naturam, illorumq; fluxus cernimus, nonnulli tamen eorum, qui ipsos honorant, statuasq; ipsorum effingunt, informes fecere, alij bobus similes esse uoluerunt. Stymphalij Erasinum, & Metopen, Lacedæmonij Eurotã, Sicyonij, et Phliasij Asopum, Argiui Cephissum *bobus aßimilant,* Psophilij Erymanthum, Alpheum Heræenses, Cherronesij, *qui à* Cnido *profecti sunt, & ipsi eundem fluuium uiris aßimilarunt.* Athenienses Cephissum *sub uirili specie honorãt, cornua tamẽ præferẽtẽ.* In Sicilia Syracusani Anapũ *uiro aßimilarunt.* Cyanen *uero fontem muliebri imagine decorarunt.* Aegestæi

Porpaca, Crimissum, & Telmissum uirili forma honorant. Agrigentini eiusdem nominis fluuium formoso puero aßimilantes sacra faciunt, ijdemq; puerilem statuam ex ebore sculptam Delphis sacrarunt, & infra fluuij nomen inscripsere.

Nonnulla de senectute.

Epicharmus in suprema senectute cum inter æquales colloqueretur, postquàm ex ijs, qui aderant, quidam sibi satis esse dixit, si quinque annos uixisset, alius si tres, tertius, si quatuor, ita locutus fertur. Quid inter uos de paucis diebus dißidetis? Omnes enim qui huc conuenimus, nescio quo fato prope occasum sumus. Quare tempus esset quàm celerrime è portu soluere, priusquàm senile aliquod incommodum sentiamus.

Somnum esse fratrem mortis, & de obitu Gorgiæ.


Cum Gorgias Leontinus ad supremum senectutis deuenisset, à quadam ualetudinis infirmitate detentus in somnũ delapsus est, cumq; ad eum quidam ex familiaribus accesisset, quæsissetq;, quid ageret, dixisse fertur. Iam me somnus incipit fratri tradere.

De Socrate iam sene, & ægrotante.

Socrates quoque ipse sepulchro proximus cum in morbum incidisset, interrogatus, quo modo se haberet, Vtroque modo, inquit, recte. Si enim uixero, æmulos habebo plures, si obiero, laudatores plures.

De lege, qua ægrotis uinum interdicebatur.

Zaleucus locrensis multas quidem, & alias leges quàm utilißimas præclare, & optime statuit, hanc uero præcipue, ut, si quis Locrensium Epizephyriorũ iniussu medici merum bibisset, post receptam ualetudinem, si forte



id contigisset, morte mulctaretur, quòd scilicet interdicto uino usus esset.

Romanorum, & aliorum lex, qua uinum neque omnibus, neque omni ætati concedebatur.

Lex est apud Maßaliotas, qua mulieribus per totum uitæ tempus uinum interdicitur, aquæ tántum potu uti licet. Scribit & Theophrastus eandem esse legē apud Milesios, omnesq; Iadas ei parere, præter Milesias. Quid? non commemorabo Romanorum legem? non ne uidear stulte, & imprudenter me gerere, si Locrorum, Massaliotarum, & Milesiorum instituta protulero, patria uero, & quæ mei ipsius sunt, conticuero? Erat igitur & apud hos constantißima lex, ut neque libera fæmina, neque serua uinum potaret, neque ex ingenuis, & nobilibus puberes, usque ad v. & xxx. annum.

Cretensium lex de disciplinis.

Cretenses liberis suis, ingenuis dico, præcipiebant, ut leges cum quodam cantu, & modulatione ediscerent, quòd & ex Musica animi demulcebantur, & facilius ipsas memoriæ mandabant, atque id, ne quis alicuius delicti, & iniuriæ culpam in ignoratiouem transferret. Deinde iusserunt Deorum hymnos canere. Postremo uero fortium uirorum Encomia, & laudes.

Animalia à uino aliena, & tamen ebria fiunt.

Omnia, quæ ratione carent animalia, à uino natura aliena sunt, illa uero præcipue, quæ uua, & acinis repleta inebriantur. Corui, & canes, si herbam, quæ Sinutta uocatur, ederint, statim bacchari dicuntur. Simia, si uinum biberit, calliditatis, elephas roboris obliuiscitur, quo tempore facillimē capi possunt.

Nonnulli bibaces.

Bibaces dicuntur fuisse Dionysius Siciliæ Tyrannus, & Nisæus tyrannus, & Apollocrates Dionysij Tyranni filius, & hipparion consobrinus Dionysij, & Timolaus Thebanus, & Charidemus orita, & Arado, & Erasixenus, & Alcetas Macedo, & Diotimus Atheniensis, qui Chone, hoc est infundibulum cognominabatur, hic enim ori infundibulum admouens sine ulla intermißione infusum uinum deuorabat. Cleomenem Lacedæmonium non solum dicunt potatorem fuisse, sed, quo uitio Scythæ laborant, meri potatorem. Iona quoque Chium poetam ferunt immodice uino usum. Alexander Macedo in honorem Calani Brachmanis Sophistæ Indi, qui sua uoluntate uiuus combustus est, certamen Musicum, equestre, & Athleticum instituit, Idem gratificans Indis unà cum prædictis certaminibus & potus certamen ipsis patriũ in honorem Calani celebrauit. Præmium autem primo uictori dabatur talentum, secundo triginta minæ, tertio decem. Promachus inter hos uictoria potitus est. Et in Dionysij festo die, cui χόες nomen erat, illi, qui plus bibisset, præmium erat corona aurea, quam Xenocrates Chalcedonius uictor à cæna reuertens Mercurio, cuius simulachrum ante ædes stabat, apposuit, quemadmodum prioribus diebus fecerat. Nam ibidem coronas ex floribus, Myrto, hedera, & lauro reliquerat. Anacharsin quoque apud Periandrum multum bibisse tradunt. Vino enim pro uiatico domo afferre consueuerat. Nam Scytharum est mero uti. Præterea Laciden, & Timonem philosophos eodem uitio laborasse ferunt. Mycerinus quoque Aegyptius, quo tempore ex Butico ora

culo uitæ breuitatem accepit, uolens oraculum fallere, duplicato tempore, & additis noctibus ad dies, in uigilijs, & potationibus totum illud tempus consumpsit. Connumeramus inter hos & Amasin Aegyptium, cuius mentionem facit Herodotus, *& Nicotelen Corinthium, & Scopam Creontis filium, & Antiochum Regem, & propterea Aristæus, & Themiston Cyprij illius regnum administrabant, ipse uero ob immodicam potationem temere principatui ascriptus erat. Et Antiochus Epiphanes cognomento, qui aliquando Romanis obses datus fuit, immoderate uino utebatur. Antiochus quoque ille, qui unà cum Medis aduersus Arsacen bellum geßit, uino inseruiebat. Neque Antiochus cognomento magnus silentio prætermittatur. Agronem Illyriorum regem immodica uini appetentia, ob quam pleuritin passus est, occidit. Item alium Illyriorum regem. Orrhopheren quoque Cappadociæ regẽ uino inseruisse legimus. Sed iam de fœminis mentionem faciam. Quãuis enim maxime reprehendenda sit fœmina uino dedita, & præsertim multo, tamen de his quoque breuiter dicatur. Chio ferunt non cùm fœminis solum, uerum etiam cum uiris potu decertasse, ijsq; superiorem fuisse. Turpißimum quidem mea sententia, quòd uictoria potita fuerit.*

De platonis fama, & æquali legum distributione.

Platonis, & illius uirtutis fama ad Arcadas, & Thebanos peruenerat; mißis itaque legatis, summis precibus, summoq; studio uirum aduocarunt, non solum, ut adolescentum curam gereret, & cum ijs de philosophia dissereret, sed, quod maius est, ut leges statueret. Gauisus

est hac legatione Aristonis filius, decreueratq; illorum uoluntati obsequi, cum tamen prius interrogasset legatos, quo modo ergà æquitatem omnes se haberent, cognouissetq; eos ab hac uirtute alienos esse, neque speraret posse persuaderi, recusauit eò proficisci.

Nonnulli ex Græcis optimates pauperrimi

Egentißimi ex græcis fuere Aristides Nicomachi filius, Phocion phoci, Epaminondas polymatidis, Pelopidas Thebanus, Lamachus Atheniensis, Socrates Sophronisci filius, & Ephialtes Sophonidæ.

Explicatio imaginis Theonis pictoris.

Theonis pictoris multæ quidem picturæ artis præstantiam declarant, præcipue uero hæc. Pictus est armatus quidam repente auxilio ueniens aduersus hostilem incursionem, & terræ deuastationem, manifeste autē, & alacriter apparet iuuenis ad pugnam incitatus, dicERESq; illum tanquàm ex Marte furere. Nam & oculis truculenter intuetur, arreptisq; armis, quanta pedum celeritate potest, uidetur aduersus hostes impetum facere. Scutum prætendit, & nudum uibrat ensem, occidenti similis, atque ad id unum paratus toto habitu sese minacem, & nemini parcentē præbet. Neq; alia à Theone picta sunt, non centurio, non ordinum ductor, non centuria, non eques, non sagittarius, sed armatus hic satis fuit ad absoluendam imaginis dignitatem. Neque prius artifex picturam ijs, qui ad spectandum conuenerant, declarauit, quàm tubicinem adduxit, iußitq; ipsi canere clamosum cantum, & quali solent ad pugnam militum animi accendi. Eodem itaque tempore & cantus auditus est ingens, & formidabilis, quasi tuba caneret re-

pentinum armatorum ex urbe erumpentium auxilium. Tunc & pictura apparebat, & miles conspiciebatur, cum sonitus aspectum clariorem, quàm ipse auxiliarius in tabula expressus efficeret.

AELIANI DE VARIA HISTORIA

LIBER TERTIVS.

Descriptio Tempe, quæ sunt in Thessalia.



GE uero iam Thessalica tēpe oratione nostra describamus, & effingamus, pro certo enim est oratione, præsertim si narratio ipsa aliquid facundiæ habeat, non minus posse res effingi, & exprimi, quàm ullius artificis manibus. Est autem locus inter olympum, & ossam positus, qui montes altißimi sunt, & tanquàm diuino consilio diuisi, locum in medio accipiunt, cuius longitudo ad xl. extenditur stadia, latitudo uero partim iugeri, partim etiam paulo plus. Interfluit Peneus amnis, in quem & cæteri amnes delabuntur, immistaq; aqua Peneum ampliorem reddūt. Locus hic commorationes uarias, & multas habet, opera non manufacta, sed à natura ipsa, quo tempore locus initium habuit, miro artificio, & labore singulari confecta. Multa enim hedera, & admodum densa uiret, floretq;, & instar nobilium uitium per altas arbores repit, & unà cum ipsis coalescit, Præterea Smilax

copiosa, quæ ad saxum ipsum extensa illud obumbrat, ita ut non appareat, totus autem locus aspectui iucundissimus uiret. In planicie ipsa, & depressis locis nemora uaria, & frequentes recessus, æstiuisq; diebus amœnissimæ, & gratæ uiatoribus stationes, ad quas confugientes frigoris lenitate reficiantur. Interfluunt multi fontes, & fluenta frigidarum aquarum potu quidem iucundissimarum, quibus siquis ablutus fuerit, ferũt eas ualetudini utiles esse. Accinunt ex omni parte aues, & præcipuè eæ, quæ canoræ sunt, & auditum oblectantes cantu suo prætereuntium laborem leniunt. Ab utraque fluuij parte commorationes, & sedes sunt, quas supra diximus. In medio Tempe Peneus fluuius tarde, & leniter olei instar labitur, & ex arboribus propè consitis, extensisq; ramis umbra emissa maximã diei partem radiorum ictus cohibet, & nauigantibus nòn iniucũdam nauigationẽ præbet. Populi uero finitimi eò conueniũt, conuentus, & conuiuia celebrant, ex quo fit, ut & multa sacrificia, & assidua, quæ soluuntur mortuis, iusta iucundissimum odorem uiatoribus, & nauigantibus præbeant. Atque hac ratione multus honor, qui circa optimum uersatur, locum diuinitatis participem efficit. Fama est apud Thessalos Apollinem Pythium ex Iouis mandato hic se ipsum expiasse, cum Pythonem draconẽ sagittis occidisset, adhuc quidem Delphos custodientẽ, cum illic esset oraculum. Ex hac igitur lauro Tempica coronatum, & dextra apprehenso ramo ex eadem Iouis, & Latonæ filium Delphos profectum esse, & oraculum accepisse. Extat in eodem loco ara, in quo & coronatus est, & ramum sumpsit. Et adhuc nono quoque

anno Delphici nobiles filios mittunt, & unum ex se ipsis Architheorum, hoc est, qui rerum diuinarum curæ præsit: Hi profecti, & sacris magnifice peractis reuertuntur coronas ex eadem lauro gestantes, ex qua Deus amore captus se quoque coronauit. Illa autem uia ueniunt, quæ uocatur Pythià, & fert per Thessaliam, & Pelagoniam, & œtam, & Aenianũ regionem, & Meliensium, & Doriensium, & Locrorum Hesperiorum. Hi uero multa cum ueneratione, & honore ipsos comitantur, perinde ac illi, qui eidem Deo ab Hyperboreis doná, & sacra ferentes consueuerũt honorare. Præterea & uictoribus in Pythijs ex hac lauro corona dari solita est. Sed hæc satis de Tempe, quæ sunt in Thessalia.

De Anaxagora sapienter liberorum interitum ferente.

Cum quidam ad Anaxagoram Clazomenium cum amicis colloquentem profectus filiorum duorũ, quos solos habebat, interitum nuntiasset, minime commotus Anaxagoras, sciebam, inquit, illos ex me natos esse mortales.

De Xenophonte.

Xenophonti, cum solenne sacrificium perageret, uenit è Mantinea nuncius Gryllum filium in prælio cecidisse; Tunc ille non ideo institutum Deorum cultum omittendum putauit, sed tantummodo coronam deponere contentus fuit quam ipsam percunctatus, quo nam modo occidisset, ut audiuit fortißimè pugnantem interijsse, capiti reposuit; Atque hæc peruulgata sunt, & iam ad omnium aures peruenere.

De Dione.

Dion Hipparini filius platonis discipulus forte publica

quædam negocia administrabat. Eodem autem tempore eius filius è tecto delapsus in aulam, obijt. Dion minimè perturbatus eadem perseuerauit agere, quæ ab initio aggressus fuerat.

De Antigono.

Antigonum ferunt, cum filius in prælio occisus allatus esset, neque uultum mutasse, neque illachrymasse, iußisse tamen, ut tanquàm fortis miles sepeliretur.

De magnificentia Cratetis.

Crates Thebanus & in alijs rebus magnificus fuisse legitur, & ea contempsisse, quæ turba temere admiratur, præcipuè uero pecunias, & patriam. Nam quòd opes suas Thebanis concesserit, omnibus notum est. Illud uero non uulgatum, quòd Thebis rursus refectis discedens, non opus est, inquit, mihi patria, quam Alexander, uel alius diruet.

De multorum maledicentia.

Demochares quem aiunt sororis filium fuisse Demosthenis, uolens ostendere se multorum maledicentiã, contemnere, cum uideret nonnullos maledicos in officina medicorum sedentes, & maledicendi cupidos. Quid dicitis, ait, uos Dysmenidæ? quo nomine illorum cõsuetudinem, & mores aperuit.

Quòd Phrynichus propter quoddam poema Imperator fuerit electus.

Phrynicum Athenienses Imperatorem elegerunt non ob nimiam in rebus gerendis celeritatem, neque generis excellentiam, aut diuitiarum gloriam, quibus rebus plerunque Athenis & admirabiliores erant homines, & alijs præsidebant. Sed cum in quadam tragædia carmi-

D

na Pyrrhichistis maxime grata, & bellicosa conscripsisset, theatroq; & uictoria potitus esset, eum statim Athenienses exercitui præfecerunt, rati illum præclare res bellicas tractaturum, cum armatis uiris non iniucunda carmina, & poemata in fabula protulisset.

De Amore.

Quis amoris expers, cum belligerendi occasio sese obtulerit, & armis decertandum sit, cum eo, qui amet, manus conserat? Nam ab amore alienus amatorem, tanquam profanus ipse, & Dei sacris minime initiatus fugit, & auersatur, tantumq; audax est, quantum & eius animus capax, & corpus roboris habet. Alterum autem perhorrescit, tanquàm eum, qui diuino numine sit afflatus, neque ex Marte quod plerisque commune est, sed ex Amore furat. Ii enim qui ab altero Deorum capti sunt, quorum unum Homerus scribit more Martis furere, etiam si ab uno tantum numine agitētur, bene, & præclare dimicant, atque ita ut semel uideantur ipsi funere. Eos uero qui præ Amore bacchantur, Martisq; impetu, & amoris flamma accensi sunt, cũ duobus inseruiant, meritò ex Cretensium sententia, duplo præstantiores cernimus. Non est igitur mirum, nisi potest armatus aliquis, & is, qui ab uno Deo, non duobus agitatur, impetum illius reprimere, qui ex Marte, & Amore occidit.

De amatoribus, & amoribus Lacedæmoniis.

Cum multa, & præclara de Lacedæmonijs Ephoris dicenda mihi essent, hæc tantum, quæ statui, breuiter exponam. Siquis ex ijs, qui formosi erant, diuitem amatorem honesti alicuius pauperis sibi delegisset, mulctam irrogabant, punientes scilicet auaritiam pecuniaria mulcta.

Alium quoque formoſum, & probū, neminem amantem ex ijs, qui illiberaliter nati erant, punierunt, quòd cum eſſet bonus, neminem amaret. Perſpicuum eſt enim quòd & illum, & alios fortaſſe ſui ſimiles redderet; Nam amatorum in amores beneuolentia idonea eſt ad imprimendas uirtutes, præſertim ſi ipſi probi fuerint. Lex eſt enim hæc apud Lacedæmonios. Siquis adoleſcens errauerit, morum ſimplicitati, & iuuenili ætati ignoſcūt, amatores autem puniunt iubentes ipſos eſſe iudices, & exploratores eorū, quæcūq; ab adoleſcentibus fiunt.

De anima.

Peripatetici aiunt animam interdiu mercenariam corpori inhærere, neque poſſe ueritatem contemplari, noctu autem ab hac ſeruitute ſolutam, & in loco, qui eſt circa Thoracem conuolutam, ad uaticinandum promptiorem fieri, & propterea inſomnia naſci.

De amore apud Lacedæmonios.

Ex Lacedæmonijs ij, qui forma excellunt, non ſunt nimis erga amatores delicati, neque ſuperbi. Diuerſa autem ab his, quàm ab alijs formoſis fieri cernimus ipſi enim amatores rogant, ut ſe ament; Eſt autem hæc Lacedæmoniorum uox, quæ ad amandi neceſsitatem impellit. Spartanus, & amor turpia non norunt. Nam ſiue adoleſcens uim paſſus eſt, ſiue amator intulit, neutris utile fuit Spartæ commorari. Aut enim procul à patria diſceſſere, aut uita ipſa, quod grauius eſt, priuantur.

De Tapyrorum uinolentia.

Tapyrorum nationem adeo uini amicam eſſe legimus, ut in uino degat, & maximam uitæ partem cum ipſo conſumat, neque ſolum ad potum abutatur, ſed uino etiam

ungatur, quemadmodum alij oleo.

De Byzantiorum uinolentia.

Byzantios uehementer uino deditos fama est in cauponis degere, proprijsq; sedibus, & domibus relictis illas hospitibus, & peregrinis, qui ad urbem conueniunt, mercede locare, neque solum domos, sed etiam uxores in eorum potestate permittere. Atque ita Byzantij eodem tempore duobus criminibus obnoxij sunt & uinolentiæ, & lenocinio; Quoniā igitur ebrietate & uino effluunt, tibia gaudent, & huius cantu recreari consueuerunt. Tubæ clangorem ne incipientem quidem sustinēt. Quibus ex rebus cognoscimus Byzantios & ab armis, & à bello maxime alienos. Atque idcirco Leonides ipsorum Imperator periculosæ obsidionis tempore, quoniā ij, dum hostes mœnia inuaderent, relicta custodia totos dies consuetis studijs detinebantur, iussit cauponas in mænibus erigi, quo commento coegit illos diutius in ordine manere ablata omni ex parte occasione. Hæc Damon. Quibus assentitur & Menander, cum ait.

Viator ebrius Byzantio bibit
Dies, noctesq; totas.

De uinolentia Argiuorum, Corinthiorum, Thracum, & Illyriorum.

Argiui quoque, & Corinthij, quòd uino intemperanter usi fuerunt, in comedijs reprehensi sunt. Et hoc quoque pro certo habetur Thracas bibendi auidissimos esse. A quo uitio non alieni sunt Illyrij. Nam hospitum unicuique, qui eidem cōuiuio intersunt, licet uinū mulieribus propinare, etiam si nullo affinitatis uinculo coniunctæ sint.

Comparatio Demetrij, & Timothei ducum.

Vter præstantior fuerit dux, Demetrius Poliorcetes, an Timotheus Atheniensis, nescio Ego sanè utriusque mores explicabo. Licebit postea uobis alteri alterū præferre. Demetrius enim per uim, per auaritiam, per offensiones maximas, & iniurias ciuitates expugnabat, admotis machinis, quassatisq́;, & suffoßis mænibus. Timotheus autem oratione monebat, docebatq́; utilius esse Atheniensibus obtemperare.

Quòd philosophia vrbanarum administratio-
num expers non sit & quòd nonnulli phi-
losophi resp. administrarint.

Philosophi quoque rerump. administrationi præfuerunt, uel propter hoc ipsum mente, & ingenio præstantes quiete uixerunt. Correxerunt enim publica Zaleucus apud Locros, Charondas in Catane, & Rhegio post fugam è Catane. Vtilis fuit Tarentinis Archytas, Solon Atheniensibus, Bias, & Thales Ioniam adiuuerunt, Chilo Lacedæmonios, Pittacus Mitylenæos, Cleobulus Rhodios, Anaximander dux fuit deducendæ coloniæ Mileto Apolloniam. Xenophon bonus fuit miles, melior Imperator, quo tempore unà cum Cyro in Asiam traiecit, & Cyrus, &, qui cum eo erant, interierunt. Vbi uero neceßitas uocabat aliquem, qui posset Græcos seruare, saluosq́; domum reducere, in hunc unum omnes respiciebant. Plato Aristonis filius Dionem in Siciliam reduxit, & ijs consilijs, & admonitionibus Dionysij Tyrannidem sustulit, quibus quotidie apud illum utebatur; Socrati Atheniēsis administratio displicebat, uidebat enim Democratiam Tyrannicam, & Monarchicam esse, Et

propterea neque decem ducum mortem probauit, neque cum x x x. Tyrannis particeps, aut conscius fuit scelerum. Vbi uero pro patria dimicandum erat, hic se palàm militem ostentabat, quemadmodum contra Delum, Amphipolin, & Potidæam. Aristoteles suam ipsius patriam non in genua collapsam (ut aiunt) sed in os iterum erexit. Demetrius phalereus Athenas gubernauit, quoad innata Atheniensibus inuidia illum eiecit. Idem in Aegyptum ad Ptolemæum profectus legibus ferendis præfuit. Quis negabit Periclem Xanthippi filium philosophum fuisse, & Epaminondam polymnidis filiũ, & Phocionẽ phoci, & Aristiden Lysimachi, & Ephialtem Sophonidæ, & aliquot post annis Carneadem, & Critolaum? Hi enim legati missi ab Atheniensibus Romam & sibi salutem peperere, Senatumq; ad id perpulere, ut diceret. Miserunt Athenienses legatos, qui non persuaderent, sed cogerent nos facere, quæcunque illis uisa essent. Ego quoque administrationem dicerem & illam Persei, siquidem Antigonum instituit, & Aristotelis, à quo Alexandrum philippi filium adolescentem philosophiæ præceptis institutum legimus. Lysias quoque pythagoreus Epaminundam erudijt. Siquis igitur ociosos appellat philosophos, stulte, & insipienter facit. Ego enim in eodem ocio, & quietis amore libenter quiescerem.

De colloquio Midæ phrygis, & Sileni, & de ijs, quæ inopinata ab hoc dicta sunt.

Commemorat Theopompus Midæ phrygis, & Sileni colloquium. Erat autem Silenus hic nymphæ filius, diuina quidem natura inferior, homine uero, & morte supe=

rior. De multis igitur inter se sermonem habuere, & inter cætera Silenus Midæ dicebat, Europam, Asiam, & Libyam insulas esse, & oceanum circum has fluere, continentem autem illam solam esse, quæ extra hunc orbem iaceret, cuius magnitudinem infinitam esse narrabat, nutrire autem alia animalia magna, & homines hic duplo maiores esse, neq; idem spacium uiuere, quo nos, sed duplex, multas quoque, & magnas esse urbes, ac uiuendi rationes, legesq; apud ipsos institutis nostris contrarias positas esse. Idem duas esse urbes dicebat maximas, nulla tamen in re sibi inuicem similes, & hanc bellicosam appellari, alteram piam. Pios quidem in pace degere, & diuitiarum copia, fructusq; terræ absque ullis aratris, aut bobus colligere, serere autẽ, aut agros colere non opus esse, uiuere nulli morbo obnoxios, & cum risu, & lætitia uita excedere, adeoq; iustos esse, ut Dij quoque non erubescant ad eos accedere. Ii uero, qui bellicosam urbem incolunt, bellicosissimi sunt, armati nascuntur, continue bellum gerunt, finitimos debellant, atque huius urbis imperium late patet. Sunt incolæ non pauciores ducentis Myriadibus, pereunt aliqui morbo, sed rarò, sæpius autem in prælio lapidibus, aut lignis percussi, (nam ferro inuulnerabiles sunt) argento, & auro abundant, atque ita ut aurum ferro, quod apud nos est, longe uilius existiment. Hos aliquando dicebat ausos esse in has nostras insulas traijcere, & trans Oceanum mille hominum Myriadibus usque ad hyperboreos peruenisse, cumq; audissent hos, qui nobiscum sunt, felicissimos esse, contempsisse tanquàm uiles, & humilia agentes, & propterea ulterius progredi noluisse. Illud

quoque admirabilius addebat, homines quosdam Meropas uocatos urbes multas, & magnas habitare, in extrema autem ipsorum regione locum esse, qui Anostus dicebatur; similē hiatui, qui neque à tenebris obscuraretur, neque à lumine illustraretur, aerem autem turbido rubori immistum imminere, fluuios etiam duos circa locum hunc fluere, & hunc quidem lætitiæ dici, alterum mœroris, & apud utrunque arbores magnitudine proceræ platani positas esse, & ex his eiusdem naturæ fructus gigni. Nam siquis eos gustarit, qui apud mœroris fluuium nascuntur, in tot lachrymas erumpit, ut per omne uitæ tempus in assiduo luctu contabescat, atque ita uitam finiat. Eæ uero arbores, quæ apud lætitiæ fluuiū nascuntur, dissimilem ferunt fructum. Siquis enim hunc gustarit, prioribus cupiditatibus omissis, si cuius forte rei amore unquàm captus fuit, huius obliuiscitur, & paulatim iunior fit, ætatemq́; iam præteritam resumit. Deposita enim senectute ad florem ætatis, postea ad adolescentiam reuertitur: Deinde puer fit, postremo infans, atque ita post hæc moritur. Quòd siquis Chio fidē adhibet, illum dicentem audiat. Mihi uero & in his, & in ceteris fabulator uidetur fide dignus.

De dissidio inter Aristotelem, & Platonem.

Ferunt dissidium inter Aristotelem, & Platonem ab hisce initium habuisse. Aristotelicæ uitæ genus Platoni displicebat, nimiusq́; circa corpus cultus. Aristoteles enim ueste utebatur magnifica, & calciamentis, & tonsuræ genere Platoni inusitato; Annulos quoque complures gestans sibi ipsi placebat. Inerat in eiusdē uultu quoddam irridendi studium, & importuna dicacitas mores

ipsius indicabat, quæ omnia à Philosopho aliena esse nemini dubium est. Hæc cum uideret Plato, non admittebat uirum, immo præferebat illi Xenocratem, Speusippũ, Amyclam, & alios, quos & honore prosequebatur, & sermonibus suis socios ascribebat. Cum autẽ aliquando Xenocrates in patriam profectus esset, Aristoteles Platonem quadam discipulorum suorum turba circũsepsit, quorũ unus erat Mnason Phocensis; & alij huiusmodi. Tũc ægrotabat Speusippus, neq; poterat Platoni adesse. Platonem autem, quòd octogenarius esset, iam propter ætatem memoria defecerat. Aristoteles igitur insidiose ipsum adortus ualde cupide interrogabat, & nescio quo pacto argute, ex quo se ipsum & iniustum, et ingratum manifeste ostendebat. Tunc Plato desijt foris deambulare, sed intus cum socijs deambulabat. Tribus post mensibus Xenocrates reuersus Aristotelem offẽdit deambulantem, ubi prius Platonem reliquerat. Quem cum uidisset cum amicis non à deambulatione ad Platonem ire, sed in urbem proficisci, interrogauit quendam eorũ qui deambulabant, ubi nã esset Plato. Suspicabatur enim illum minus belle se habere. At is, respondit, non male se habet, sed nimis molestus Aristoteles coegit eũ à deambulatione recedere, et intus in horto de philosophia disserere. Xenocrates, cum id audisset, statim ad Platonem se contulit, quem inuenit apud eos, qui una erant, disputantem. Erant autem multi, & celebres uiri, & ij, qui inter iuuenes maxime præstare uidebantur. Omisso postea colloquio benigne se inuicem complexi sunt. Postremo nihil neq; dixisse hac de re apud Platonem Xenocrates, neq; audisse uisus est, collectis tamen condisci-

pulis, & amicis Speusippum acerbe accusauit, quòd Aristoteli in deambulatione cessisset, & pro uirili parte sua Stagiritæ insidiatus est, & ad id cōtētionis est pgressus, ut ipsum eijceret, & consuetū locū Platoni restitueret.

De Lysandro, & donis ei allatis.

Lysandro Spartano in Ioniam profecto hospites, quos illic habebat, multa quidem dona misere, & inter cætera bouem, et placentam. Hic placentam intuitus interrogauit, quòd nam esset bellarium illud. Cum is, qui attulerat, respondisset, quòd ex melle, caseo, & alijs quibusdam confectum esset, date hoc, inquit Lysander, ijs, quibus est notum. Est enim cibus libero homine indignus, bouem autem patrio more iussit parari, iucundeq́; cœnauit.

De animi magnitudine Themistoclis.

Themistocles adhuc puer è Ludo reuertebatur, Accedente paulo post Pisistrato, pædagogus Themistocli mandauit, ut propter Tyranni aduentum paulum uia secederet, hic uero, non ne satis, inquit, hæc est uia illi? adeo Themistocles iam ex eo tempore uirilis, & magna nimus uidebatur.

De Aeneæ pietate, & Græcorum miseratione in Troianos.

Capta Troia Græci Troianorum calamitates miserati græce sanè publica præconis uoce denuntiarunt licere unicuiq́; libero, quodcunque uelit, ex domesticis secum afferre. Aeneas itaq; alijs neglectis patrios deos ferebat. Tunc gauisi hominis pietate Græci secundam eidem rē permisere, ut acciperet, hic patrem iam senio cōfectum humeris portabat. Quo maxime commoti græci omnia domestica illi concessere, nimirum declarantes, quòd ho

ftes quoq; ipfi in eos, qui & deorum, & parentum iura colunt, benignißime fe gerunt.

De Alexandro.

Præclara funt Alexandri gefta apud Granicum, Iffum, & iuxta Arbelos commiffa pugna, & debellatus Darius, & Perfæ Macedonibus feruientes, & uniuerfa Afia deuicta, & Indi Alexandro obfequentes, & quæcunque apud Tyrum, & in Oxydracis, & alibi facta funt. Quid enim nunc oportet orationis breuitate tantam uiri ad bella gerenda fortitudinem complecti? Dentur aliqua felicitati Alexandri, quæ plurima continet, fiquis forte nimis contentiofus fit. Præftans igitur fuit Alexander, quòd fortunæ nõ ceßit, neq; illius in fe promptitudine deftitutus uixit. Illa uero minime laudantur in Alexandro. Quinto enim menfis die ferunt illum apud Eumæum largius bibiffe, fexto autẽ ex nimio potu dormiffe, neq; eo die aliud egiffe, quàm duces de hefterno itinere docuiffe, dicentem illud fummo mane fore. Septimo apud Perdiccam conuiuatus eft, ibiq; rurfus bibit, octauo dormiit. Decimo quinto eiufdem menfis eodem modo bibit, poftridie idem fecit. Apud Bagoam, cuius domus à regia decem ftadijs diftabat, uigefimo quarto cœnauit, deinde dormiuit. Alterutrum igitur neceffe eft, aut Alexander tot menfis diebus fibi ipfi uino obfuit, aut qui hæc fcripfere, mentiuntur. Ex his autẽ cognofcere licet eos & alijs temporibus res geftas non uere explicare, inter quos Eumenes eft, & Cardianus ille.

De Xenophontis elegantia.

Xenophonti & alia quidem præclara curæ erant, præ-

ſertim uero armorum pulchritudo, uincenti enim hoſtes pulcherrimam ueſtem conuenire dicebat, & in prælio occumbentem præclare in egregiis armis iacere: hæc enim eſſe ſepulchra, quæ uirum fortem, & ſtrenuum uere exornent. Fertur itaq; Grylli filius Argolicum ſcutum habuiſſe, Thoracem Atticum, Galeam in Bœotia confectam, et equum Epidaurium. Ego ſanè dicerem talia èlegantis eſſe uiri, & eius, qui ſe dignum egregijs rebus iudicet.

De Leonida, & trecentis ſponte pro Græcorum ſalute mortuis.

Leonidas Lacedæmonius, & qui cum eo erant, trecenti iuxta Thermophylas oraculo ſibi prædictam mortem elegere, & cum pro Græcia bene, & præclare decertaſſent, glorioſum exitum aſſecuti ſunt, ſibiq; immortalem gloriam, & perpetuam famam peperere.

De Pindaro Tyranno.

Cum Pindarus Melanis filius Alyatti uero Lydi ex filia nepos Epheſiorũ Tyrãnidi ſucceſſiſſet, in ſupplicijs aſper, & inexorabilis erat, in cæteris uidebatur clemens, & modeſtus eſſe, maximeq; dabat operam, ne patria in barbarorum poteſtatem ueniret. quæ ita eſſe, illud nobis indicat, quòd cum Crœſus maternus ipſius auunculus in ſeruitutem redigeret Ioniam, legatos ad Pindarum miſit uolens Epheſios quoq; ſibi tradi. Vbi non paruit, ad obſidionem ſe accinxit Crœſus. Cum uero turris quædam, quæ poſtea Proditrix dicta fuit, proſtrata fuiſſet, periculumq; impenderet, perſuaſit Pindarus Epheſijs, ut à portis capillares funiculos columnis tẽpli Dianæ alligarent, tanquam iubentes totam urbem ſacrã

esse Dianæ, hac scilicet ratione Epheso impunitatem ex cogitans, ex altera uero parte idem author fuit, ut ad Lydiæ Regē profecti illum precibus obsecrarent. Quos cum Crœsus audisset, risisse ferunt, & benigne preces admisisse, ita ut liberum Ephesijs discessum concesserit, Pindarum autem coegerit urbe decedere. Qui acceptis ijs amicis, qui una abire uoluerunt, filioq́;, & fortuna rum, quidquid licuerat, ciuiū custodiæ commisso, relicto quoq; custode filij, & pecuniarum Pasicle familiarium uno abijt in Peloponnesum, uoluntariam fugam regiæ uitæ preponens, ne patria Lydis seruiret.

De Platonis paupertate, & quomodo philosophiæ animum adiecerit.

Audio & hoc de Platone, an uere, nescio. Plato Aristonis filius paupertate oppressus in militiā profecturus erat. Sed cum Socrates illum ementem arma offendisset, cupiditatem illam cohibuit, ea enim locutus est Socrates, quæ iustum erat, persuasitq́;, ut Philosophiæ operam daret.

Qua ratione Socrates Alcibiadis superbiam represserit.

Cum uideret Socrates Alcibiadē propter diuitias, agrosq́; elatum, & superbientem, adduxit ipsum ad locum quen dam, ubi in tabula totius orbis ambitus descriptus erat, iussitq́; ut illic Atticam requireret, hac inuenta iussit postea proprios agros inspicere. Cum uero hic dixisset, nullibi pictos esse; Ergo inquit, gloriaris ob ea, quæ in nulla orbis parte posita sunt?

De Diogenis paupertate & superbia.

Diogenes Sinopensis de se ipso dicebat, quod Tragicas exe

crationes explet, & sustinet, se enim errabundum esse, domo, & patria orbatum, mendicum, nudum ferè, & uictu in diem uti. Et tamen ob hæc non minus gloriabatur, quàm Alexander ob totius orbis imperium, quo tempore subactis Indis Babilonem reuersus est.

De nonnullorum continentia.

Amœbeus Cytharœdus tanta fuit castitate, ut uxorẽ, quam formosißimam habebat, nunquã attigerit. Diogenes Tragœdiarum actor ab uxore perpetuò se abstinuit. Fuit in Clitomacho Pancratiaste tanta continentia, ut si forte canes coeuntes uidisset, statim uultum auerteret. Idem siquis Venereus, & impudicus sermo inter conuiuia effluxisset, confestim illinc decedebat.

De Niciæ studio circa propriam artem.

Nicias adeo pingendi studiosus fuit, ut arti aßidue adhærens sæpe cibi oblitus fuerit.

De Alexandro, & Hercule discentibus cithara canere.

Alexander Philippi filius, cum esset puer, discebat cithara canere, magistro uero iubente chordam quandam, & eam, quam sonus ipse requirebat, cum cantu pulsare, quid interest, inquit, si hanc percussero? alteram ostendens, Regis quidem nihil, illius autẽ, qui cithara usurus sit, plurimi. Timuit profectò hic, ne si in docendo aspere, & imprudenter se gereret, idem, quod Linus, pateretur. Linus enim Herculem adhuc puerum docebat cithara canere, illo autem imperitius organum percutiente, indignatus est Linus, cumq; id Hercules moleste tulisset, plectro Linum occidit.

De Satyro tibicine.

Satyrus tibicen Aristonem philosophum sæpe audiebat, cumq́; illius sermonibus oblectaretur, dicebat.

O pereant, si non arcus combussero flammis.

Tibias significans, & nescio quo pacto artem contemnens præ philosophia.

Lex Laconibus & Romanis communis.

Lex erat apud Laconas, & Romanos, qua prohibebantur omnes obsonia emere, & quæ uellent, & quot. Volebant enim ciues in cæteris continentes esse, præsertim uero in mensa.

Quod in Academia non licebat ridere.

Et hoc quoq; Athenis celebratur non licuisse alicui in Academia ridere. conabantur enim locum ab iniuria, & ignauia uacuum seruare.

Cur Aristoteles Athenas reliquerit.

Quo tempore Aristoteles iudicij timore Athenas deseruit, cuidam interroganti, quæ esset Atheniẽsiũ ciuitas, respondit, pulcherrima, sed in ipsa agrestis Pyrus in Pyro consenescit, & ficus in ficu, calumniatores autem intelligebat. Postea interrogatus, cur Athenas reliquisset, quia nollet, inquit, Athenienses bis in philosophos peccare, & Socratis interitum significans, & periculum, quod sibi impenderet.

Lex Ceorum contra senes.

Lex est apud Ceos hæc. ij, qui in suprema senectute sunt, tanquam se ipsos ad conuiuium, uel ad celebre sacrificium excitantes, coronati ueneno se perimunt, cũ se inutiles ad res patrias gerendas cognouerint, animi uiribus temporis culpa deficientibus.

Quædam inuenta prius Athenis.

Oleam prius Athenis inuentam esse tradunt, et ficum, quæ duo primũ etiam terra edidit. Dare quoque, & sumere pœnas Athenienses primi excogitarunt. Item in certamine nudi, & uncti corpora primum exercuére. Erichthonius quoque primus docuit equos iungere.

Quibus rebus olim ueteres uescebantur.

Arcades glandibus uesci consueuerant, Argiui pomis, quæ Apia dicuntur, Athenienses ficubus, Tirynthij sylue-stribus pyris, Indi arundinibus, Carmani Palmis, Milio Mœotæ, & Sauromatæ, Terebintho, & Nasturtio Persæ.

De Satyris, Tityris, & Silenis.

Satyri, quos nonnulli Tityros uocant, una cum Dionysio chorum agebant, id autem nomen sumpserunt à Teretismatis, hoc est lasciuis cantibus, quibus Satyri oblectantur. Satyri uero à simulato, & ficto risu. Sileni à dicacitate, σιλλὸν enim infamiam appellant cum acerbo, & molesto ioco. Vestis erat Silenis ex utraq; parte uillosa. Habitus uero totus plantationem, cuius author fuit Bacchus, uitium, & palmitũ densitatẽ significat.

Plura Bacchi cognomina.

Veteres fertile esse phlyein dicebant, propterea Bacchum Phleona, Protrygen, Staphyliten, Omphaciten, & alijs diuersis nominibus appellabant.

De aliquibus mulieribus furentibus.

Venus Cypri regina Elegen, & Celænen Proeti filias meretrices reddidit, postea furore correptæ nudæ Peloponnesi partem percurrere, & ad alias quoq; Græciæ regiones se contulere. Audio & furore Bacchico

Lacedæmo-

Lacedæmoniorum uxores, Chiorum, & Boetiorum tanquam diuino numine afflatas insanisse. De quo & Tragœdia loquitur. Ferunt autem ab hac insania solas Minyarum filias, Leucippen, Aristippen, & Alcithoen alienas fuisse, idq; in causa est, quòd maritos appetebant, & propterea choream detrectarunt. Bacchus id profectò molestißime tulit, cumq; illæ telæ, & Mineruæ operibus studiosißime deditæ essent, repente hederæ, & uites circa telas repserunt, Dracones in calathis nidificarunt, & uini, lactisq; guttæ è summis tectis emanarunt. Quibus tamen rebus non potuerũt adduci, ut Deo inseruirent, Minyades itaq; furore correptæ extra Cithærónem non leuiori, quàm si in Cithærone fuissent, Leucippes filium adhuc tenerum, & puerũ tanquam hinnulum lacerarunt, atq; inde ad Minyadas ab initio dictas traxerunt, quæ cum propter facinoris atrocitatẽ eas insectarẽtur, in aues mutatæ sunt, una quidem in cornicem, altera in uespertilionem, tertia in noctuam.

De Citharœdo à Sybaritis occiso.

Cũ Sybare Citharœdus in certamine, quod in honorem Iunonis celebrabatur, caneret, & illius causa dißiderent Sybaritæ, & iam ad arma uenissent, perterritus Citharœdus una cum toto habitu ad Iunonis aram confugit. Hi uero nulla loci ratione habita Citharœdũ occidere, ex quo paulo post sanguis in Iunonis templo uisus est scaturire instar perennis fontis. Cum igitur Delphos Sybaritæ misissent, talibus Pythia respondit.

Te procul à tripode, & sacrato limine dextra
Arcet adhuc. misero fœdata cruore. quid ultra
Exposcis, pendesq́; meo crudelis ab ore?
Musarum seruum iugulas Iunonis ad aram
Contemptis superis. prope stat uindicta, nec illam
Euitare Iouis potuit de sanguine quisquam,
Illius at capiti, natis, generiq́; reseruant
Fata malum, damnoq́; nouum succedit, & ingens.

Neq; supplicium serum fuit, Cum enim bellum Crotoniatis intulissent, & ij, & eorum ciuitas ab illis deleta est.

De quodam, qui cum posset socijs opem ferre, non tulit, & de altero, qui tulit quidem, sed tamen infeliciter cum eo actum est.

Adolescentuli tres eiusdem ciuitatis oraculum consulturi Delphos profecti sunt, cumq́; in Latrones incidissent, illorum unus aufugit, alter uero congressus cum eo, qui supererat latrone, (alios enim occiderat,) Latronē quidem non percußit, ense tamen amici corpus transfixit. Pythia igitur ei, qui aufugerat, hæc respondit.

Hinc procul à templo, socium certamine in ipso
Deseris, & frustra scitatum oracula tendis.

Alteri uero Pythiam interroganti hæc respondit.

Dum socium seruare uolens occidis, amico
Dextra cruore madet, sed nulli obnoxia culpæ.

Oraculum Philippo datum.

Oraculum ferunt apud Bœotas in Trophonij antro Philippo datum esse, ut currum caueret. Illum igitur ob timorem nunquam post eum diem currū ascendisse. Duplex itaq; fama emanauit. Tradunt enim aliqui Pausaniæ

ensem, quo Philippus occisus est, currum habuisse eburneum in capulo sculptum. Aliqui, cum Thebaicam paludem, quæ ἅρμα hoc est Currus dicitur, circumiret, iugulatum fuisse memorant. Prior opinio uulgatior est, altera non omnibus nota.

Lex Stagiritarum.

Lex est hæc Stagiritarum prorsus Græca. Quod non deposuisti, ne accipias.

De Timotheo, & alijs, quibus propria fortitudo nulli fuit usui.

Timotheus primum admirationi erat apud omnes Athenienses, uero postquam semel deprehensus est peccare, neq; prior fortitudo, neq; maiorum præclara gesta saluti extitere. Themistoclem non adiuuit neq; nauale prælium circa Salamina feliciter gestum, neque legatio, qua apud Spartanos functus est, quo tempore callide eos de urbis suæ mœnium instauratione cælauit. Is enim non solum Athenis, uerũ etiam è tota Græcia aufugit. Pausaniam Lacedæmonium uictoria ad plateas parta ne minimum quidem seruauit. ea uero, quæ Byzantij innouabat, (erant enim indicia amoris, & studij illius erga persas) gratiam omnem iam partam propter res prius feliciter gestas extinxere. Phocionem neq; publica omnium uox, qua bonus dicebatur, neque quinque, & septuaginta anni, quos sine ulla in aliquem ciuem iniuria traduxit, tutari potuerunt. Nam cum primum uisus est Antipatro Piræum prodere, statim eum morte mulctarunt.

AELIANI DE VARIA HISTORIA.

LIBER QVARTVS.

Nationum mores diuersi.



EX est apud Lucanos hæc. Siquis peregrinus post solis occasum eò uenerit, uolueritq; in alicuius tectum introire, neque susceptus fuerit, is, qui uetuerit, agitur reus, & pœna afficitur, et quòd peregrinum, & quòd hospitalem Iouem læserit.

Dardanos audio populos sub Illyride ter in uita balneis uti consueuisse, post partum, post nuptias, & post mortem.

Indi neq; fœnori dant, neq; accipiunt, quemadmodum neq; Indo licet iniuria afficere, neq; affici. Ideo neq; Syngrapha, neq; deposito utuntur.

Apud Sardoos filij parentes senio confectos fustibus cædebant, atq; ita occisos sepeliebant. Turpe enim existimabant maxime senem superesse, quòd corpore sæpe propter senectutem peccaret. Apud eosdem iudicia fiebant aduersus ignauiam, & ociosum oportebat ratione͂ reddere, unde uiueret.

Assyrij uirgines iam nubiles in ciuitatem adductas uenales exponebant, ut qui emisset, pro uxore haberet.

Biblij nihil eorum, quæ in uia offenderint, auferunt. No͂ enim hoc inuentum, sed iniuriam putant.

Berbiccæ septuagesimum annum transgressos occidunt, uiros sacrificantes, fœminas uero suffocantes.

Colchi suorum cadauera loris alligata arboribus appendunt.

Lydiæ fœminæ, priusquam coniugium inirent, se ipsas prostituebant, ubi uero semel coniunctæ fuerant, caste degebant. Si post coniugium deliquissent, ueniæ spes nulla.

De dissidio inter Nicostratum Citharistam, & Laodocum Citharœdum.

Nicostratum Citharistam ferunt contendentem cum Laodoco Citharœdo dixisse. illū quidem in magna arte paruum esse, se uero in parua magnum. Non enim *solum domum ampliorem reddere, & opes magnū est, sed etiam artem, si modo Nicostrato bene, & præclare locuto credendum est.*

De Polygnoto, & Dionysio pictoribus.

Polygnotus Thasius, & Dionysius Colophonius pictores fuere. Polygnotus quidem circa magna uersabatur, et in ijs sacris, quæ maioribus hostijs celebrabantur, uictoribus præmia, tabulas scilicet effingebat. Dionysij uero opera, affectus Polygnoti, mores, habitus usum, palliorum subtilitatem, & cætera præclare imitabantur, magnitudinem uero minime.

Lex Thebana de artificibus, & pictoribus.

Audio fuisse Thebis legem, quæ iubebat artificibus, pictoribus, & statuarijs simulachra speciosiora effingere. Eademq; lex mulctam irrogabat ijs, qui deteriora aut pinxissent, aut finxissent.

Beneficiorum memores.

Beneficiorum memor fuit, & gratiam retulit Theseus Herculi. Nam cum ipsum Aidoneus Molossorum Rex uinxisset, quo tempore in gratiam Pirithoi, non ut nuptias pararet, regiam uxorem rapturus eò se contulit, Hercules ad Molossos profectus eum è uinculis liberauit, & propterea ille in honorem Dei aram erexit. Septem illi Thebani duces Pronacti gratiam retulere. Cũ enim Pronax ipsorum causa interijsset, certamen in eius honorem instituere, quod aliqui in honorẽ Archemori ducis institutum fuisse putant. Hercules non oblitus est Nestoreæ liberalitatis. Cum enim Neleus detrectaret Herculem expiare, cæteriq; filij præter Nestorem patri assentirentur, ipse capta urbe, occiso Neleo, & liberis eius, non solum uni pepercit Nestori, sed etiam paterni regni dominum esse uoluit. Athenienses publice gratiam retulere Herculis posteritati. Nam quòd illorum auus Theseum beneficio affecerat, propterea Athenienses ipsos in Peloponnesum deduxere. Hercules remuneratus est trecentos, & sexaginta Cleonæos, quorũ opera aduersus Molionidas usus fuerat, quiq; præclare, & fortiter ceciderant. Nam eis Nemæos honores concessit, quibus ipse à Nemæis propter aprum agrorũ uastatorem interfectum ornatus fuerat. Menestheus Peteoi filius gratus fuit erga Tyndaridas. ij enim eiectis Thesei filijs, & Aethra Thesei matre captiua facta, regnum Menestheo tradidere, Atq; idcirco Menestheus primus ipsos reges, & seruatores appellauit. Darius Hystaspis filius priuatæ adhuc fortunæ amiculo Sylosontis famij oblectatus est; Cuius muneris quàm

grata æstimatio animo eius esset allapsa, regno potitus ostendit, totam nanque urbem, & insulam Samioru Sylosonti fruendam tradidit.

Oraculum pro Athenienfibus.

Cum in animo haberet Lacedæmonij Atheniensium urbem funditus delere, oraculum prius consuluerunt. hoc autem, Ne moueatis, inquit, communem Græciæ aram.

Mortem aliquando non esse malorum requiem, & de Pausania.

Neque mori aliquando malis utile fuit, quoniam neq; tunc quiescunt, sed aut sepultura priuantur, aut si forte sepulti fuerint, tamen et ex postremo honore, & communi omnium corporum statione aliquando deturbantur, Pausaniam Medorum studiosissimum non solum fame sustulerunt Lacedæmonij, sed etiam eius cadauer extra fines eiecerunt. Scribit Epitimedes.

De fortunæ mutatione.

Quis non uidet fortunæ uicissitudines momentaneas, & celeres? Lacedæmonij olim Thebanis imperarunt, ipsi postea ab ijs adeo in seruitutem redacti sunt, ut Thebanis non solum licuerit in Peloponnesum proficisci, sed etiam Eurotam traijcere, & Laconicam regionem deuastare. Parum quoq; abfuit, quin urbem ceperint, id quod etiã contigisset, nisi Epaminondas ueritus esset, ne Peloponnesij oẽs conspiratione facta pro sparta decertarẽt.

Cum Dionysius Tyrannus à Carthaginiensibus obsideretur, neq; ulla salutis spes eluceret, animo quidem consternatus erat, & fugam cogitabat. Cum uero quidam ex amicis Ellopidas nomine ad eum accessisset, dixissetq;, gloriosum est sepulchrum Tyrannis, repente erubuit,

animoq; confirmatus cum paucis Myriadas multas deleuit, imperiumq; latius, & maius reddidit.

Amyntas Macedonum Rex superatus à finitimis barbaris, regnoq; eiectus cogitabat de relinquenda prorsus regione, sua ipsius salute contentus; Dumq; hæc meditaretur, quidam Ellopidæ dictum coràm eo protulit, ob quod angusto loco occupato, collectisq; paucis militibus regnum recepit.

Aegyptij patria uoce Ochum asinum appellabant, illius animum ex bruti ignauia accusantes. Propterea is per uim Apin asino immolauit.

Dion Hipparini filius eiectus à Dionysio, cum duobus millibus militũ eum rursus superauit, coegitq; exulem esse, quemadmodum & ipse prius fuerat.

Syracusani nouem triremibus centum & uiginti Chartaginiensium debellarunt.

De Platonis humilitate, & Aristotelis ingratitudine.

Plato Aristonis filius in Olympia cum hominibus ignotis, & ipse ignotus cohabitauit. Adeo uero illos quotidianis sermonibus, & simplici in conuiuijs uictu sibi deuinxit, ut externi homines mirum in modum uiri consuetudine oblectarentur, cum tamen neq; Academiæ, neq; Socratis mentionem ullam fecisset, sed solum se Platonem appellari dixisset. ij postea aliquando Athenas profecti benigne ab illo excepti sunt, dixeruntq;, age ò Plato ostende nobis alterum Platonem Socratis discipulum, & dux sis in illius Academiam, ut aliquid & nos perdiscamus. Cum hic, quemadmodũ consueuerat, subrisisset, Ego, inquit, ille sum. Quo audito uehementer obstupuere, quòd se tantum uirum adeo benignum in quoti-

diana consuetudine habuisse tandiu ignorassent, qui ostenderat se posse homines alijs rationibus, quàm sermonum ui sibi deuincire.

Idem plato Aristotelē pullū equinū uocabat; Sed cur amabo? Perspicuum est pullum, cum primum materno lacte satiatus fuerit, solitū matrē calcibus cædere. obijciebat itaq; Plato ingratitudinē quandā Aristoteli; Nam cū is à Platone maxima, et utilißima ad philosophiā percipiēdā semina accepisset, & præsidia, optimis repletus præceptis, & à magistro disiunctus, ex aduersa parte scholā aperuit, & in deābulādo oppositos Platoni socios habebat, & discipulos, cupiebatq; in omnibus ei aduersari.

Quomodo affectus erat Pericles erga populum Atheniensem.

Pericles Xanthippi filius Atheniēsis populi studiosißimus, priusquàm orationem habiturus esset, precari, & uota facere consueuerat, ne uerbum ullū sibi in mentem ueniret, quod populum posset irritare, sibiq; contrarium, & cæteris stolidum uideretur.

De Socratis elegantia.

Diogenes dicebat & Socratem ipsum delicate uiuere; Nam & domuncula, & lectulo contentus erat, interdum quoque & calceis.

De Helenæ imagine à Xeuxide picta.

Xeuxis Heracleota ex pictæ helenæ simulachro magnam pecuniæ uim colligebat. Neque enim unicuique licebat illam intueri, sed ei tantum, qui certum argenti numerū persoluisset, spectanda proponebatur. Tunc igitur Græci helenam illam meretricē appellabant, quod Heracleota precium pro pictura posceret.

Epicuri sententia, & felicitas.

Epicurus Gargetius dicebat. Cui parum non est satis, huic nihil satis. Idem dicebat se promptũ esse cum Ioue decertare, si mazã, & aquam habeat. Cum hæc in animo haberet Epicurus, qua de causa in uoluptate supremum bonum posuerit, aliàs sciemus.

De parsimonia pecuniarum, & custodia.

Sæpe ex Archilochi sententia pecuniæ paulatim maximis laboribus partæ in unius meretricis intestinum delabuntur. Quemadmodum enim facile est echinum capere, difficile uero tenere, ita & pecunias. Anaxagoras quoque in libro de Regno, difficile est, inquit, pecunias colligere, difficilius uero custodire.

De aliquibus, qui ægrotantes musicam, & alia didicerunt, & firmi facti sunt.

Hieronem ferunt Siciliæ Tyrannum primum rudem fuisse, & omnium ineruditißimum, & rusticitate Gelonis fratris quàm simillimum. Vbi uero in morbum incidit, omnium doctißimus factus est, totum tempus, quod morbus suppeditabat, in audiendis summorum hominum sermonibus consumens. Factus itaque firmior Hiero assidue erat cum Simonide Ceo, Pindaro Thebano, & Bacchylide Iuliete. Gelo autem prorsus, à disciplinis alienus erat.

Ferunt etiam Ptolemæum secundum morbo correptum rerum cognitioni se totum tradidisse. Scribit plato Theagen nullã aliam ob causam philosophari cœpisse, quàm ob inualetudinem. Ea enim ab administratione ciuilium negociorum auocans ad sapientiæ desiderium inflammauit. Sed quis mente præditus non imprecatus esset

Alcibiadi morbum, Critiæ, Pausaniæ Lacedæmonio, & alijs? Alcibiadi quidem, & Critiæ, ne contempta Socratis consuetudine alter insolenter se gereret, & aliquando Laconicas, aliquando Bœoticas partes sectaretur, interdum Thessalis, Medis, & Persis Pharnabazi studiosus gratificaretur, alter uero ne Tyrannus, cædisq; cupidißimus patriã multis, maximisq; iniurijs, & calamitatibus afficeret, ac postremo ab omnibus odio habitus uita excederet.

Strato Chorragi filius opportune ægrotauit. Cum enim generis splendore, & diuitiarum copia floreret, in ocio, & quiete segniter degebat. Ex quo spleneticus factus, & curatione indigens, quæ per exercitationes fit, primum quidem eas adhibuit, quantum ad ualetudinẽ recipiendam satis fuit. Deinde ulterius in artem ingressus in Olympijs eodem die Lucta, & Pancratio uictor fuit, & ea, quæ secuta est olympiade, in Nemæis, Pythijs, & Isthmijs.

Democrates Luctator pedibus male affectus progressus est in certamina, & in stadio circulum circumscribens iubebat aduersarijs, ut se extra lineam per uim traherent. Quod cum ij assequi non potuissent, uictoria potitus, & coronatus disceßit.

Veterum nonnullorum proprietates.

Siquis Calliæ obtemperet, potorem ipsum Callias efficiet; si Ismeniæ, tibicen fiet; superbus, si Alcibiadi. Coquus, si Crobylo; facundus, si Demostheni. Militiæ peritus, si Epaminondæ. Magnificus, si Agesilao; Bonus, si Phocioni; Iustus, si Aristidi; Sapiens, si Socrati.

Pythagoræ admirabiles opiniones.

Dicebat Pythagoras hominibus, se ex seminibus natura humana melioribus ortum esse. Eodem enim die, eodemq; tempore uisus est Metapontij, & Crotone. Et in olympia alterum femur aureũ ostendit. Idem Mylliæ Crotoniatæ in memoriam reduxit, quod erat Midas Phryx * *Gordiæ filius. Aquilam quoque albam coxit, quæ ipsum expectauit. Quin etiam Cosam traijciens salutatus est à fluuio. Ille enim salue, inquit, Pythagora.*

Dicebat quoque Maluæ folium esse maxime sacrum. Dicebat numerum binarium, per quem rebus nomina imposita sunt, omnium sapientißimum. Terræmotum nihil aliud esse, quàm mortuorum conuentum. Irin dicebat esse tanquàm Nili terram. Sonum, quo sæpe aures personant, esse uocem meliorum. Nemo de aliqua re dubitabat, nemo ultra ea, quæ ille dixisset, alia inquirebat, sed omnes tanquàm diuino oraculo eius dictis adquiescebant. Et cum urbes peruagaretur, fama emanabat Pythagoram non magistrum, sed medicum uenisse: Suadebat idem Pythagoras abstinendum à corde, à, gallo albo, & ab omnibus animalibus, & balneis, neque per publicas uias ingrediendum. Incertum enim esse, an his duobus puri efficiantur homines.

De ueneratione & honore Dionysij erga Platonem.

Quo tempore Plato in Siciliam à Dionysio crebris nuntijs accersitus se contulit, Dionysius iuuenis aurigæ officio fungens, & socium sibi Aristonis filium deligens currum ascendit. Tunc ferunt Syracusanum uirum hilarem, & Homericorum uersuum non ignarum aspectu

hoc lætatum Homerica illa ex Iliade carmina paulum immutata recitasse.

Insignem probitate uirum, Regemq; potentem
Cum ueheret, gemuit sub pondere faginus axis.

Idem Dionysius etsi omnibus diffidebat, Platonem tamen tãta ueneratione cõplexus est, ut uni ex omnibus quàm facillimi aditus ad eum darentur, quamuis illum Dionysij studiosissimum esse intelligeret.

Philippus eruditionem amauit, & de Aristotele.

Philippus Macedo non solum dicebatur rei militaris peritissimus, & facundissimus, sed etiam disciplinarũ amantissimus. Cum enim Aristoteli liberaliter diuitias suppeditasset, multæ, & uariæ cognitionis author fuit, illius uero præsertim, quæ ad animalia spectat. Hæc enim Nicomachi filius Philippi opulentia adiutus copiosissime scripsit. Idem Platonem, & Theophrastum in honore habuit.

De Democrito, & opinione Theophrasti, &
Hippocratis, aliorumq; de ipso.

Democritum Abderitam fama est & sapientem fuisse, & maxime contendisse, ut id ignoraretur, & præclare re ipsa præstitisse propterea multa loca obijt. Venit enim ad Chaldæos, Babylonem, ad Magos, & ad Sophistas Indos. Damasippi patris bona in tres partes diuisa accepto tantum argento in itineris uiaticum, tribus fratribus concessit. Propterea Theophrastus illum laudandum censebat, quòd circumiret meliora colligens, quàm Menelaus, & Vlysses. Ii enim Phænicum mercatorum more errabant pecunias cogentes, & harum causa terrestria, & maritima itinera conficiebant.

Abderitæ Democritum appellabant philoso-phiam, Protagoram orationem.

Deridebat omnes Democritus, & insanos appellabat, ex quo ei Gelasini cognomen impositum fuit. Dicunt ijdem Hippocratem primo congressu male sensisse de Democrito tanquàm insano, progrediente uero consuetudine hominis ingenium admiratum esse.

Ferunt hippocratē, cum Doriensis esset, in Democriti gratiam Ionica lingua libros conscripsisse.

Amores Socratis, & Platonis.

Socrates Alcibiadem amauit, Plato Dionē, qui & ab ipso amatore non parum fructus assecutus est.

De Atheniensium delitiis.

Veteres Athenienses purpureis uestibus induebantur, uarijsq; tunicis. Corymbos capillis, ijsq; postea aureas cicadas, & alium ex auro apposititium ornatum appendentes ita incedebant. Pueri quoque cum ijs sellis, quas in semetipsas conuolui cernimus, subsequebantur, ne illi paßim, & ubique sederent. Neque uero dubium est tales in conuiuijs, & reliquo uictu fuisse. Et tamen apud Marathonem feliciter re gesta uictores discessere.

De aliquibus prodigis.

Periclem, Calliam hipponici filium, & Niciam Pergasensem legimus adeo intemperāter uixisse, ut cum sui profusi essent, & uoluptuariæ uitæ indulgerent, ad supremam inopiam redacti fuerint. Postquàm igitur pecuniæ ijs defuerunt, cum tres sibi inuicem uenenum propinassent, tanquàm è conuiuio mortui excesserunt.

Qua ratione amicitia perpetua poßit esse.

Cum Leoprepes Ceus Simonidis pater aliquando in palæ-

stra sederet, adolescentuli quidam amice inter se affecti interrogarunt uirum, qua ratione amicitia diuturnior esse posset. Si, inquit, mutuæ iræ cesseritis, neque uos inuicem irritaueritis.

De inopinata, & absurda Thrasylli insania.

Thrasyllus Aexonensis inopinata, & noua laborauit insania. Nam derelicto Astu profectus in Piræum nauigia omnia, quæ eò appulerant, sua existimabat esse, & ipsa recensebat, rursusq; iubebat soluere. Gaudebat quoque nautarum salute, qui incolumes portum subierant. Cum autem hoc morbo diutius laborasset, Multis post annis eius frater è Sicilia reuersus medico curandum tradidit, atque ita morbo liberatus fertur. Idem postea meminerat præteritæ insaniæ, dicebatq; nihil sibi unquàm iucundius in uita accidisse, quàm cum alienarũ nauium salute lætabatur.

De Electra.

Xanthus poeta, qui legatus fuit Stesichori himeræi, scribit Electram Agamemnonis filiam prius Laodicen appellatam. Occiso enim Agamemnone, & Clytemnestra ab Aegistho in uxorem ducta, regnoq; accepto, Græci iam senescentem uirginem Electram uocarunt, eò quòd neque uirum, neque lectum experta fuisset.

De dono Pamphais & Diotimi.

Pamphaes Prienensis Croeso Lydo, patre eius adhuc uiuo, triginta minas dono dedit; Qui postea regno potitus currum argento onustum ad eum remisit.

Cum Diogenes à Diotimo Carysio numisma paruulum accepisset; tibi, inquit, tot Dij dent, quot animo cogitas, ui=

rum scilicet & domum. Videbatur enim Diotimus mollior esse.

Quòd Pherecydes ob impietatem Phthiriasi laborarit.

Pherecydes Syrius mortem omnium acerbißimam expertus est, corpore, à pediculis absumpto. Et cum is quoque morbi turpitudinem abhorreret, subraxit se ab amicorum oculis, interrogatusq; à quodam, quomodo se haberet, immisso per ianuæ foramen digito prorsus arido significabat se toto corpore ita affectum esse. Morbi huius Apollinis iram fuisse in causa Delij memorãt. Cum enim in Delo unà cum discipulis sederet, & de sapientia sua dissereret, illud dixisse fertur, se nulli unquàm Deo rem sacram fecisse, & tamen iucunde, & hilariter non minus quàm ij, qui hecatombis Deos colunt, uitã duxisse. Huius igitur uanitatis grauißimas dedit pœnas.

Multos esse mundos ridicule Alexander credidit.

Non possum à risu temperare propter Alexandrum Philippi filium, qui cum audisset scriptum fuisse à Democrito, plures esse mundos, ingemuit, quòd uix unius dominus factus esset. Quàm ualde igitur risisse credimus Democritum, cuius id proprium, & peculiare erat?



Aeliani

AELIANI DE VARIA HISTORIA

LIBER QVINTVS.

Quòd Tachos ob delicatiorem uiuendi rationem perierit.



Achos Aegyptius quandiu patrio ritu, & simplici uiuendi ratione usus est, fuit omnium firmißimus. Vbi uero ad Persas profectus in illorum delitias excidit, ob insolitum uiuendi luxum à dysenteria oppressus uita excessit.

Pherecydes quomodo perierit.

Pherecydes Pythagoræ magister lapsus in morbum primũ sudorem emittebat calidum, uiscosum, & mucco similẽ, deinde ferinum. Postremo in Phthiriasin incidit, & cum ex carnibus pediculi undique erumperent, tabes, atque eam mors consecuta est.

De columnis herculis.

Aristoteles eas, quæ nunc herculis columnæ dicũtur, prius Briarei dictas affirmat; Nam cũ Hercules terram, & mare purgasset, & proculdubio optime de humano genere meritus esset, deleto Briarei nomine in eius honorem herculeas appellarunt.

De aliquibus plantis in Delo uirentibus.

Fama est uirere in Delo oleam, & palmas, quibus tactis Dianam cum prius non posset parere, statim peperisse.

De inopia, & magnificentia Epaminondæ.

Epaminondas una utebatur ueste, & ea sordida, quã si forte fulloni purgandam dedisset, domi, eò quòd alteram non haberet, se continebat. Et tamen aurum sibi à Persarum rege missum recusauit. Atq; idcirco, siquid ego recte sentio, is, qui non accepit, uidetur mihi eo, qui dedit, magnificentior extitisse.

De uoluntaria Calani morte.

Digna mihi quidem uidetur non laude solum, sed etiam admiratione Calani mors, quæ talis fuit. Cum Calanus Sophista Indus relicto Alexandro, & Macedonibus, & contempta uita, cuperet è corporeis uinculis solui, iussit pyram in pulcherrimo Babylonis suburbio extrui ex aridis lignis, maximeq; fragrantibus, Cedro, Iunco, Cupresso, Myrto, & Lauro. Ipse more suo post cursum pyram conscendit, coronatusq; arundinis frondibus solem uenerabatur; Quod cum uidissent Macedones (hoc enim erat signum) statim pyram succendunt. Is à flamma undique septus intrepide stabat, neque prius motus est, quàm consumptus. Tunc ferunt Alexandrũ obstupuisse, dixisseq; Calanum potentiores se aduersarios debellasse. Se enim aduersus Porum, Taxilen, & Darium certasse, Calanum uero aduersus laborem, & mortem.

De Anacharside.

Scythis mos est regionem suam peruagari. Anacharsis uero tanquàm uir sapiens ulterius uagatus est. Venit enim in Græciam, & Soloni maximæ fuit admirationi.

Quomodo aliqui Scommata pertulerint.

Scommata, & conuicia nullam mihi uim uidentur habere. Nam siquis ijs utatur in firmum, & solidum animum,

concidunt. Si uero in uilem, & humilem, aliquid fortasse possunt. Et propterea sæpe non solum molestiam, uerum etiam inter itum attulere. Idq; & Socrates, & Polyagrus docent. Alter enim comicis maledictis lacessitus ridebat, Alter se ipsum suffocauit.

De Aristotele.

Cum Aristoteles per luxum patrimonium dißipasset, militiæ animum adiecit Qua etiam turpiter omissa, pharmacopola prodijt. Ingressus postea in Peripatum, cum naturæ præstantia multos superaret, audiretq; docentium sermones maximè excelluit, eumq; habitum induit, quem postea conseruauit.

Numerus aliquarum nauium, & armatorum, quos Athenienses amisere.

Naualem classem Athenienses summo sibi studio compararunt, aliquando autem uictores, aliquando uicti amiserunt in Aegypto triremes ducentas unà cum supplemento, iuxta Cyprum centum, & quinquaginta. In Sicilia ducentas, & quadraginta, in hellesponto ducentas. Desideratæ sunt in Sicilia armatorum Myriades quatuor, & mille in Cheronæa.

De crudelilate Regis Thraciæ in liberos.

Thracum Rex (alij nomen dicant) quo tempore Xerxes àduersus Græcos exercitum duxit, in Rhodopen montem aufugit. Monuit tamen prius sex, quos habebat, filios, ne contra Græciam arma sumerent, erat enim Græcorum studiosißimus. Hi uero cum minime paruissent, à reuerso patre excæcati sunt. In quo quidem aliena à Græcorum dignitate uisus est commisisse.

Demades mulctatus est, quòd Alexandrum decreto facto Deum statuerit.

Non possum non summopere hæc Atheniensium facta commemorare. In concionem progressus Demades decreto statuit, ut Alexander esset Deus decimus tertius? Cuius impietatis magnitudinẽ cum populus non tulisset, Demadi talentorum centum mulctam irrogauit, quòd mortalem Alexandrum Olympijs ascripsisset.

Athenienses faciles erant ad innouandas res.

Erant Athenienses in Reipub. administratione leues, & ad mutationes omnes maxime faciles. Moderate enim regnum tulerunt sub Cecrope, Erechtheo, Theseo & Codridis postea. Tyrannidem Pisistratidarũ experti sunt. Aristocratia usi sunt usque ad quadringentorum imperium. Deinde decem ciues singulo quoque anno imperium obtinuere. Postremo nullis magistratibus ciuitas regebatur paulo ante ea tempora, in quibus triginta Tyranni rerum potiti sunt. Hæc facilis morum mutatio laudanda sit, nec ne, aliorum sententia statuatur.

Attica lex de cadaueribus humandis, & boum mactatione.

Siquis mortuum insepultum reperisset in uia, lege iubebatur terrã superinijcere, & sepelire ad occasum. Nunquàm immolabant bouem, cuius opera in curru, aut aratro fuerant usi, quòd hic quoque agrum coleret, & hominum laboribus succurerret.

Loca, ubi Iudicia Athenis in sectores exercebantur.

Areopagitæ iudicabant in temp'o Martis de uoluntaria cæde, ijdem de inuita in Palladio. Cum uero quis ma-

leficium fatebatur, sed iure fecisset, & licuisset ne facere, id erat in controuersia, is in Delphinio rationes reddere cogebatur.

Puerulus ob sacrilegium morte mulctatus est.

Cum puerulus aureum folium ex Dianæ corona delapsum abstulisset, Iudices ei apposuerunt ludicras res, talos, & folium, cumq; statim ad folium manus extendisset, eum tanquàm sacrilegum occiderunt, non ætati ignoscentes, sed ob maleficium punientes.

De Ahenienſium ſuperſtitione.

Siquis ex sepulchro uel minimam ilicem excidisset, tanta Atheniensiũ animis insita erat superstitio, ut eum morte dignum censerent. Quinetiam Atarbem, quòd sacrũ Aesculapio passerem occidisset, interfecerunt, neq; imprudentiæ, neque insaniæ rationem habentes. His enim utrisque diuina præferenda statuerunt. Dicebant enim aliqui eum inuitum id fecisse, aliqui uero furore correptum.

De grauida fœmina, quæ capite damnata eſt.

Areopagitæ ueneficam captam non prius morte mulctabant, quàm edidisset id, quod cõcipiebat, cum capta fuit, atque ita innocuum infantem à supplicio liberantes, eam, quæ meruerat, puniebant.

Quomodo Aeſchylus impietatis condemnatus abſolutus fuerit.

Aeschylus Tragœdiarum scriptor impietatis accusatus est propter quandam fabulam ab eo conscriptam. Quare cum in animo haberent Athenienses illum lapidibus cædere, Amynias iunior frater coràm omnibus reiecta ueste brachium ostendit mutilum. Manum enim Amy-

nias præclare se gerens in Salamine amiserat, primusq́; ex Atheniensibus fortitudinis præmia adeptus est: Iudices uiri calamitatem intuiti, & præclarorum facinorum memores Aeschylum absoluere.

De Tarentinorum fame, & Rheginorum.

Cum Tarentini obsiderentur à Romanis, & fames expugnabiles fecisset, Rhegini decreuerunt decimo quoque die inediam sustinere, & Tarentinis alimenta permittere. Id cum fecissent, Tarentini obsidione illa liberati, & calamitatis memores festum agunt, quod Nesteam, hoc est ieiunium appellant.

Medea proprios liberos non occidit.

Ferunt aliqui falsa esse, quæ de Medea circumferuntur. Nō enim ab ea occisos filios, sed à Corinthijs, hāc autē fabulā, & Tragœdiā de Colchica muliere Euripidē Corinthiorū precibus adductum finxisse, & propter poetæ excellentiam ueritatem à mendacio obrutam, propter quod facinus in pueros admissum usque ad hodiernum diem Corinthios sacrificia, & iusta liberis offerre, tanquàm ijs tributum persoluentes.



AELIANI DE VARIA HISTORIA

LIBER SEXTVS.

De aliquorum ira in alios, inhumanitate, iniuria, iniustitia, & superbia.



Athenienses domini facti Chalcidensium eorum regionem Hippobotam appellatam, sorte in quadraginta partes diuisere, & reliquerunt in loco, quem Lilantum nominant, Mineruæ lucos: Reliquam mercede locarunt, & columnas, quæ iuxta porticum regiam stabant, & locationes continebant. Captiuos quoque uinxerunt. Neque idcirco iræ aduersus Chalcidenses finem imposuere.

Cum Lacedæmonij in potestatem suam redegissent Messenios, dimidium eorum omnium, quæ in Meßenia nascebantur, cæperunt; Liberas fœminas coegerunt flere etiam eos mortuos, quibus nulla affinitate coniunctæ erant. Nonnulli ex uiris ad agrorum cultum relicti, alij uenditi, & multi occisi. Athenienses quoque eadem iniuria usi sunt. Nam feliciter rebus gestis non potuerunt secundam fortunam moderate ferre, Virgines enim inquilinorum cogebant in supplicationibus, suis puellis umbracula gestare, & fœminas fœminis, uiros autem scaphas ferre.

Sicyonij capta Pellene Pellenensium uxores, & filias mere-

triciam uoluerunt exercere. Impia hæc ô Græci Dij, neque memoria nostra apud barbaros honesta.

Philippus uictoria apud Cheronæam parta, cæteriq; Macedones rerum bene gestarum felicitate inflati, animo uehementer efferebantur. Græcis uero timor iniectus est, atque ita, ut per singulas ciuitates in eius potestatem se dediderint, quod quidem fecere Thebani, Megarenses, Corinthij Achæi, Elei, & Euboenses omnes qui littori adiacent. Non tamen Philippus composita cum ijs fœdera seruauit, immo omnes præter ius, & leges in seruitutem redegit.

De fortitudine filij Harmatidij.

Harmatidij Thespiensis filius profectus in auxilium Atheniensium unà cum alijs ciuibus, primum quidem bene, & fortiter pugnauit. Postea deficientibus armis nudis manibus decertando, gloriose occubuit. Patrio igitur nomine iuuenem appellaui Homerico more eum celebrans. Quòd siquis nomen uelit scire, aliunde intelliget.

De Isada puero.

Lacedæmonij Isadam adhuc puerum, quem nondum leges ad militiã uocabãt, coronarunt, quòd è gymnasio egressus aduersus hostes præclare se gesserat, eundemq; condemnarunt, quòd ante idoneum ætatis tempus absque patrijs armis in hostes profectus fuisset.

De eo, cui Lysandri filia desponsa fuerat.

Quidam uiuente adhuc Lysandro patre eius filiam se in uxorem ducturum fidem dedit. Vbi uero puella & patre priuata est, & Lysander post mortem pauper est cognitus, is cui desponsa fuerat, negauit se uelle eam uxorem ducere. Propterea Ephori uirum mulctarunt.

Neque enim Laconibus, neq; Græcis uisus est digna facere, cum & mortui amici oblitus esset, & diuitias pactis prætulisset.

De legatis Atheniensium.

Athenienses legatos in Arcadiam missos occiderunt, quòd alia uia, quam ea, quæ illis mãdata fuerat, profecti erãt, quamuis rem ex sententia confecissent.

Laconicæ leges.

Nonne & hæc Laconica sunt instituta? Lex est apud Spartanos, ut is, qui tres filios ciuitati exhibuisset, immunis esset à custodia, qui quinque, ab omni publico munere. Item ut indotatæ uxores ducerentur. Item Lacedæmonio uiro non licebat mechanicam artem discere. In prælijs uero puniceis uestibus utebantur; Nam color ille simul & uirilis uidebatur, & sanguis è uulneribus erumpens plus formidinis afferebat hostibus, cum huiuscemodi aspectus oculorũ sensum uehementissime permoueret.

Non licebat Laconi hostem exuere. Ii uero, qui præclare in bello occubuissent, oliuæ, aliarumq; arborum ramis coronati Laudibus extollebantur. Qui uero strenue, & egregie se gessissent, purpura superinduti, honorifice sepeliebantur.

De terræmotu, qui Spartam inuasit.

Cum Lacedæmonij præter fœdera seruos è Tænaro abstractos occidissent, (erant autem hi serui ex helotis) ira Neptuni cõcitatus terræmotus adeo uniuersam urbem concussit, ut quinque solum domus superessent.

De nece Artaxerxis.

Artaxerxem, qui & Ochus cognominabatur, ferũt per in-

sidias à Bagoa Eunucho Aegyptio interfectum, & concisum felibus proiectum fuisse, alium autem eius loco sepulchro regio collocatum. Ochi sacrilegia multa quidem memorantur, ea uero præsertim, quæ in Aegypto commisit. Bagoas uero non contentus occidisse Ochum, capulos ensium ex eius cruribus confecit, hac ratione sæuitiam suam indicans. Illum autem odio habebat, quòd Apim in Aegypto occiderat, quemadmodum Cambyses antea.

De thesauro à Delphis quæsito in Pythone.

Postquam ex his Homericis uersibus didicerũt Delphi locupletissimum esse Apollinis locum.

Nec quot mormoreis Pytho Petrosa recludit
Sedibus, excelsas habitat quas Phœbus Aphetor.

Ferunt Delphos aggressos esse effodere circa aram, & tripodem, terræmotum tamen repente exortum eorum incœptis obstitisse.

Lex de ciuibus a Pericle lata.

Cum Pericles inter Athenienses maxime floreret, legem tulit, ut is ab administratione publicarum rerum prohiberetur, qui ex duobus Atheniensibus non esset natus, quam legem Nemesis statim consecuta est. Cum enim duos filios, quos habebat, Paralum, & Xantippum communis pestilentiæ morbus extinxisset, superstites relicti sunt Pericli nothi, quos paterna lex à publicis muneribus disiunxerat.

De Gelone uolente imperium deponere.

Gelo Carthaginensibus apud Himeram superatis, totam Siciliam in potestatem suam redegit, postea nudus in forum profectus dicebat ciuibus se uelle Imperiũ reddere.

Hi cum eum experti essent studiosiorem populi, quàm Monarchicæ cōueniat dignitati, recusarūt. Propterea in templo Iunonis, quod est in Sicilia posita est tabula, quæ & eum nudum ostendit, & totum factū complectitur.

De Dionysij felicitate, & quem finem ipsa cōsecuta sit.

Dionysius secundus Imperium possidebat ualde munitum hoc modo. Naues habebat non pauciores quadringentis ordinum quinque, & sex; pedites ad decem Myriadas, equites nouem mille. Vrbs ipsa Syracusanorum portubus maximis ornata erat, & mœnibus altißimis circundata. In promptu erat & alius apparatus bellicus ad quingentas naues extruendas idoneus. Intus positæ erāt ad centum Myriades medimnorum tritici. Armamentarium refertum scutis, Machæris, hastis, ocreis multis, Thoracibus, & Catapultis, quarum inuentorem fuisse dicunt ipsum Dionysium. Habebat idem socios multos: Quibus omnibus fretus adamantino se Imperio septum esse arbitrabatur. Ipse tamen prius fratres occidit, uidit filios uiolenter iugulari, filias stuprari, postea nudas crudeliter necari. Neq; aliquis ex eius genere legitimo sepulturæ honore honestatus est. Alij enim uiui combusti sunt, alij concisi in mare proiecti. Hæc autem illi contigerunt, ex quo Dion hipparini filius Imperium eius inuasit. Ipse uero senectute, summaq; inopia confectus uita excesit.

Theopompus scribit eundē præ nimio meri potu oculorum uitio laborasse, solitumq; sedere in tonstrinis risum scur

rili more excitantem, & in media Græcia indecore, ac miserrime uixisse. Dionysius itaq; ab illustri statu in humilem mutatus uitæ moderationem, morumq; cultum homines edocebit.

De Tyrannidibus, quæ in Græcia ad posteros peruenere.

Sane quàm recte supremum, & cœleste numen uetat Tyrannidas usq; ad tertiam ætatem permanere, sed aut statim Tyrannos pinus in morem conterit, aut liberorum potentiam funditus prosternit. Hæ autem Tyrannides celebrantur à Græcis perpetuò & longa quadam serie in posterorum manus peruenisse. Gelonis in Sicilia, Lucaniorum, qui sunt circa Bosphorum, & in Corintho Cypsellidarum.


De Dario insidijs appetito.

Audio humanißimum factum Darij Hystaspis filij. Aribazus Hyrcanus inter uenandum insidiabatur ei una cum alijs insignibus Persicis uiris. Quod cum præsensisset Darius, minime territus iußit eos arma sumere, & equos, toruéq; intuitus. Cur non aggredimini, inquit, illud, cuius causa huc uenistis? Illi cum audacem hominis aspectum uidissent, impetum cohibuere, tantoq; terrore perculsi sunt, ut desilientes ab equis hastas deponerent, ad pedes Darij supplices se proijcerent, & in eius potestatem se traderent. Hic uero alios aliò amandauit, nonnullos ad extrema Indiæ loca, aliquos in Scythiam misit. Illi uero beneficij memores fidelißimi semper ei extitere.

AELIANI DE VARIA HISTORIA.

LIBER SEPTIMVS.

De Semiramide, & quomodo Aſſyriorum Imperium obtinuerit.



E Semirami de Aßyria alij alia prædicant. Hæc omnium formoſißima, quamuis formæ non multum ſtuderet, profecta ad Aſſyriorum Regẽ, quippe qui pulchritudinis fama allectus eam ad ſe aduocarat, impetrauit à Rege ſibi dono dari regium ornatum, & ut per quinq; dies ſibi liceret toti Aſiæ imperare, & quicquid mandaſſet, ſtatim perficeretur. Poſtquam igitur cognouit mulier omnia ex ſuo nutu, & arbitrio pendere, ſatelliti mandauit, ut confeſtim Regem occideret. Quo facto Aſſyriorum Imperiũ obtinuit. Scribit hæc Dinon.

De Stratonis, & Nicoclis luxu.

Straton Sidonius fertur luxu, et nimia profuſione ſtuduiſſe cæteros homines ſuperare, cuius uitam Theopompus Chius Phæacum moribus, inſtitutisq; comparat, quorum Homerus ingenij ſui præſtantia, quemadmodum conſueuit, tragice, & copioſißime mentionem facit. Hunc inter conuiuia non unus cantor demulcebat, ſed multæ aderant mulieres cantrices, tibicinæ, meretrices pulchritudine eximiæ, & ſaltatrices. Idem ſtudioſe certabat cum Nico

cle Cyprio, quoniam & hic cum eo, non tamen de honesta aliquare, sed de ijs, quæ prædiximus. Et cum alter alterius facta ab ijs, qui ultro, citroq; ibant, audiret, uterque alterum cum quadam æmulatione uincere conabatur. Non tamen diutius hac uiuendi ratione usi sunt, uterq; enim uiolenta morte interijt.

Dictum Aristippi, quo mœror ademptus est.

Aristippus amicis quibusdam grauißime lugentibus multa locutus fertur, quæ ad leuandam tristitiam facere uidebantur, illa uero præcipue in exordio. Venio ego ad uos non condolendi, sed leuandi mœroris causa.

De laude Molæ.

Pittacus mirum in modum laudabat molam, illud de ea prædicans, quòd in exiguo loco multis licet exerceri. Erat autem quædam cantilena molaris uocata.

De Vlysse, & Achille, qui multa proprijs manibus confecere.

Laertes in suprema senectute inuentus est à filio suis manibus plantam polire. Fatetur quoq; Vlysses se multa scire, & esse artificem.

Non *lignator erat mihi par, non scindere ligna*
Me melior quisquam, aut cineres sopire tepentes.

Idem non fabrorum opera, sed sua ratem quàm citißime confecit. Achilles tertius à Ioue carnes secuit parans conuiuium legatis Græcis ad se profectis.

Responsum cuiusdam Scythæ de frigore.

Cum aliquando ningeret, interrogauit rex Scytham quendam nudum, & tamen frigoris uictorem, An frigeret. At hic contra interrogauit, frons ne frigeat. Negante eo dixit, Neq; ego, sum enim totus frons.

De Demosthenis uigilijs.

Demosthenem Demosthenis filium Scommate hoc insectabatur Pytheas, dicens illius Enthymemata lucernam olere. Is enim totas noctes uigilabat, & assidue meditabatur, quæ apud Athenienses dicturus esset.

De Alexandri luctu ob Hephæstionis interitum.

Mortuo Hephæstione Alexander in Pyram iniecit arma, aurum quoq;, & argentum una cum mortuo, uestemq; inter Persicas maxime preciosam igni consumpsit. Totondit bellicosos, & strenuos uiros, & se ipsum, Homericum illum Achillem imitatus; Quo etiam uiolentius, & impatientius se gessit. Nam & Ecbatanorũ arcem, et mœnia diruit. Quantum igitur ad tonsuram, uisus est mihi Græce se gessisse, Cum uero mœnium euersionem machinatus est, Barbarice. Idem uestem mutauit dolori, amori, & lachrymis succumbens.

Hephæstion ad Ecbatana interijt. Ferunt autem Alexandrum hæc in honorem Hephæstionis mortui parasse, ijs tamẽ ipsum paulo post mortuũ usum esse, eiusdem enim interitũ luctũ ob adolescentem susceptum intercepisse.

De continente muliere.

Continentissima mihi uidetur fuisse Phocionis uxor, quæ mariti pallium gestabat, neq; indigebat Crocoto, non Tarentina ueste, non rotunda, non amiculo, non reticulo, non capitis tegmine, non deniq; tinctis tunicis. Sed primum temperantia induta erat, postea ijs, quæ in promptu aderant.

De uxore Socratis.

Socrates Xanthippe, quòd detrectabat eius pallio induta ad spectandam pompam ingredi, fertur dixisse. Vides

te non spectaturam, sed spectandam potius ire?

Calciamenta Romanarum mulierum.

Pleræq; Romanorum uxores maritorum calceos ferre consueuerant.

Lysandri, seu Philippi Apophthegma de periurio.

Pueros oportet talis, uiros iureiurando decipere. Alij Lysandri dictum esse uolunt, alij Philippi Macedonis. Vter fuerit, mea sententia non recte. Neque fortasse mirum est, quòd Lysandro non assentiar. Ille enim Tyrannus erat, Ego uero quid sentiam, ex hoc, quòd mihi dictum non probatur, perspicuum est.

De tolerantia Agesilai.

Agesilaus Lacedæmonius iam senex nudis pedibus, & absq; tunica lacero tantum pallio indutus hyberno, & matutino tempore ingrediebatur. Hunc cum quidam obiurgaret, quòd iuuenilia ageret, Iuniores, inquit, ciues tanquam equini pulli me iam adultum intuentur.

De Philosophis, qui in exercitus, & Reip. administratione uersati sunt.

Videntur mihi Philosophi etiam bellicarum rerum peritissimi. Tarentini enim sexies Archytam Imperatorem delegerunt. Melissus classi præfuit. Socrates ter in militiam profectus est. Plato & ipse primũ ad Tanagram fortiter decertasse uisus est, Deinde ad Corinthum. Xenophontis expeditionem, & militare Imperium multi celebrant, et ipse in ijs, quæ de Cyro scribit, copiosissime fatetur. Dion hipparini filius Dionysij Tyrannidem deleuit. Epaminondas Thebanorum Dux apud Leuctra Lacedæmonios superauit, et Romanorũ, Græcorumq; primus extitit. Zenon multa administrauit pro Atheniensibus

nienſibus apud Antigonum. Nihil enim intereſt, aliquis ne conſilio, an armis alios adiuuet.

Quomodo Mitylenæorum ſocij, qui defecerant, puniti ſint.

Quo tempore maritimis rebus florebant Mitylenæi, ſocios, qui defecerant, hac pœna affecerunt, ne eorum liberi literas diſcerent, aut diſciplinas docerentur, rati grauiſsimum eſſe ſupplicium, ſi & literarum, & bonarum artium ſcientia priuarentur.

De Roma, Remo, Romulo, & Seruia.

Roma à Remo, & Romulo Martis, & Seruiæ filijs condita eſt. hæc autem ab Aenea originem duxit.

De Eudoxo in Siciliam profecto.

Eudoxo in Siciliam profecto gratiam multam habuit Dionyſius, At ille nulla adulatione, aut blanditijs uſus, Profectus ſum, inquit, tanquam ad bonum hoſpitem, apud quem Plato commorabatur, ſignificans ſe non illius, ſed huius cauſa ueniſſe.

Quòd Aegyptij tormenta conſtanter ſuſtinuerint, & de Indicis mulieribus.

Aegyptios ferunt tormentis conſtantiſsime reſiſtere, & malle mori, quàm uera fateri. Apud indos uxores unà cum uiris mortuis concremantur. De qua etiam re certamen inter eas oritur; ea tamen cui ſors obuenit, eodem igne abſumitur.

De Solonis Stratagemate contra Megarenſes, & quomodo eos uerbis ſuperarit.

Solon in eo bello, quod pro Salamine ſuſceptũ eſt ab Athenienſibus, Imperator delectus, cũ duabus nauibus Me-

garensium potitus esset, Atticos duces in eas transtulit, Cumq; hostilia arma suis circumposuisset, impetu insidiose facto multos Megarensium inermes occidit. Quibus etiam non dicendi facultate, sed argumentis ipsis superior extitit. Apertis enim uetustis sepulchris Athenienses omnes, qui mos est ipsis, ad occasum positos ostendit, Megarenses autem temere, & paßim sepultos. Sententiam tulerunt Lacedæmonij.

De sene Ceo, qui capillum tinxerat.

Senex quidam Ceus profectus est Lacedæmonem, & cum superbus esset, propter senectutē erubescebat, idcirco conabatur canos tinctura occultare. Progressus itaq; ad Lacedæmonios, tali ostenso capite illa exposuit, quorum causa uenerat. Tunc Archidamus Lacedæmoniorum Rex. Quid nam ueri, inquit, dicturus est hic, qui nō solum in animo, sed in capite mendacium circumfert? Illius itaq; dicta reiecit, hominis ingenium, moresq; ex ijs, quæ cernebantur, redarguens.

De Cæsaris, & Pompeij studio in discendis ijs, quæ ad iustum Imperium pertinebant.

Non erubuit Cæsar ad Aristonis domus proficisci, neq; Pompeius ad Cratippum. Nam, etsi potentes erant, nō aspernabantur eorum consuetudinem, à, quibus se plurimum adiuuari posse sciebant, sed, tales cū essent, huiuscemodi hominum opera indigebant. Non enim uolebant imperare, sed recte imperare.

AELIANI DE VARIA HISTORIA.

LIBER OCTAVVS.

De Dæmonio Socratis.



Icebat Socrates coràm Theage, Demodoco, alijsq; compluribus de numine secum uersante, uocem scilicet sanctam sorte sibi datam, quæ si mecum sit, inquit, dehortatur me ab eo, quod facturus sum, nunquam autem hortatur. Et si quis amicorũ, inquit, de aliqua mecum re communicet, et uox ea superueniat, rursus dehortatur, meq;, quid agendũ sit, monet, ego uero diuinæ uoci obtemperans eum, qui me consulit, moneo consilium mutare. Adducebat autẽ huius rei testem Charmidem Glauconis filium. Hic enim cõmunicauerat cum Socrate, num certaturus esset in Nemæis, & cum cœpisset loqui, confestim uox superuenit. Tunc Socrates Charmidem ab incœpto deterruit, qui cum non paruisset, rem quoq; infeliciter egit.

De Hipparchi sapientia, & studio erga eruditos, & de Homericis uersibus.

Hipparchus filiorum Pisistrati maximus, et Atheniensium sapientissimus Homeri poemata primus Athenas attulit, iussitq; Rhapsodos, hoc est recitatores ea in Panathenæis canere. Ad Anacreonta Teium nauẽ quinquaginta

remis instructam misit, ut ad se proficisceretur. Cum Simonide Ceo assidue erat, quem & magnis donis, plurimisq; præmijs ornabat. Perspicuum est enim Simonidem auarum fuisse. Huic itaq; uni rei studebat hipparchus, ut doctis faueret. Volebat enim suo ipsius exẽplo Athenienses erudiri, eisq; melioribus imperare. Iniquũ enim esse censebat alicui sapientiam inuidere, cum ipse bonus esset, & sapiens. Scribit hæc Plato, cuius discipulus fuit Hipparchus.

De Bou's mactatione apud Athenienses, de Dijpolijs, & Buphonijs festis.

Mos est Atheniensibus, ut iugulato Boue alia omnia absoluant, singulis prius cædis accusatis, ensem autem condemnent, & ab eo dicant illum occisum esse. Eius autem diei, quo hæc fiunt, festum uocant Dijpolia, & Buphonia.

De Poliarchi luxu.

Poliarchum Atheniensem ferunt ad id luxus progressum esse, ut eos canes, & gallos, quibus maxime oblectatus fuerat, mortuos publice ad funus efferret, amicos conuocaret, splendide sepeliret, erectisq; columnis epigrammata insculperet.

De Neleo, Medonte, & duodecim Ioniæ urbibus.

Neleus Codri filius regno priuatus Athenas reliquit, propterea quòd Pythia Medontis in Coloniam profecti Imperium fore prædixerat. Hic tempestate coactus ad Naxum appulit, unde cum uellet soluere, contrarij flatus prohibebant. Cum itaq; ignoraret, quid sibi agendum esset, dixerunt uates, expiandũ exercitum, eò quòd multi, qui impuris essent manibus, simul nauigarent.

Quare ipse quoque simulauit se puerum occidisse, & purgatione indigere, atq; ita, ut idem conscij facerent, persuasit. Quo facto, cognitisq; ijs, qui se ipsos cæde polluerant, abijt. Illi Naxum coluere. Neleus in Ioniam profectus est, & primum tenuit Miletum eiectis Caribus, Mygdonibus, Lelegibus, alijsq; Barbaris, à quibus duodecim Ioniæ urbes nomen habuere, & sunt hæ. Miletus, Ephesus, Erythræ, Clazomenæ, Priene, Lesbus, Teos, Colophon, Myus, Phocæa, Samus, & Chius. Postea & alias multas in continente urbes habitauit.

De imperitia literarum & ruditate barbarorum.

Neminem ferunt ex ueteribus Thracibus literas scire, immo omnes Barbari Europam incolentes turpißimum arbitrantur uti literis. Qui uero in Asia erant, ut fama est, utebantur. Et propterea audent dicere Orpheū Thracem minime sapientem fuisse, eiusq; poemata fabulosa esse, & falsa. Hæc Androtion scribit, siquis ei de Thracū imperitia, & ruditate fidem habendam censet.

De nuptijs celebratis ab Alexandro post uictum Darium.

Cum Alexander Darium superasset, nuptias sui ipsius, & amicorū celebrauit. Erant autem, qui uxores ducebant, nonaginta, totidemq; thalami, Eratq; locus, ubi uiri conuiuabantur, lectis centum ornatus, & argenteus tripes in uno quoque positus, in Alexandri uero aureus; Omnes mensæ stratæ purpura, & pictis stragulis Barbarico more, & precioso textis. Ad conuiuiū quoq; adhibuit suos hospites, quos è regione uoluit accumbere. In aula conuiuabantur copiæ pedestres, nauales, equites, legationes, & peregrini Græci. Tubæ signo accum-

bebant, eodemq; sed uario finem adesse significabatur. Quinque integros dies propter nuptias sacris operam dedit, Interfuerunt etiam cantores, actoresq; multi Comœdiarum, & Tragœdiarum, Indici quoq; præstigiatores, qui in ea arte cæteris ea tempestate præstabant, dicuntur affuisse.

De pictura.

Conon Cleonæus, ut aiunt, Picturam adhuc nascentem, & imperite à prioribus tractatam, ac nescio quo pacto fascijs, & lacte inuolutam perpoliuit. ob quam etiam rem primus maiora præmia est assecutus.

De Tyranno ab amoribus suis interfecto.

Archelaum Macedonicæ Tyrannum (ita enim & Plato eum appellat, non regem) Crateuas eodem amore Tyrannidis captus, quo ab eo diligebatur, occidit, sperans se Tyrannum, et felicem fore. Adolescentulus autem cum triduum, aut quatriduum imperasset, insidijs ab alijs appetitus interijt. Possemus autem de Macedonico hoc facto carmen illud dicere.

Damna parat iecori ille suo, qui lædere tentat.

Archelaum enim aiunt unam ex filiabus Crateuæ desponsdisse, postea tamen alij locasse. Quod cum is molestißime tulisset, Tyrannum de medio sustulit.

De Solone, & legibus ab eo, & à Dracone scriptis.

Solonem Athenienses ad administranda publica delegerũt, non tamen sorte crearunt. Delectus multis quidem rebus urbem ornauit, præcipue uero legibus, quæ ad hanc usq; diem seruantur. Abrogarunt autem illas Draconis, quæ Thesmi, hoc est leges non scriptæ dicebantur, capitales tantum retinuerunt.

De rerum imminutione, corruptione, & mundo ipso.

Non miramur humanam naturam mortalem, & , ut ita dicam, Ephemeram corrumti, quando & fluuios cernimus deficere, & altißimos montes imminui. Nauigantes enim ferunt Aetnam minorem esse, quàm prius. Item Parnassum, & Olympum Piericum. Et qui totius naturam diligentius scrutati sunt, dixerunt mundum ipsum corrumti.

De Demosthene, Aeschine, Theophrasto, & Demochare.

Absurdum profectò, (sed tamen uerum) quòd Demosthenes apud Philippum Macedoniæ Regem dicturus defecerit, Aeschines autem Cothocides Atrometi filius apud Macedonas maxime floruerit, reliquisq; legatis animi elatione, & audacia præstiterit. Id autem erat causæ, quòd Aeschinem Philippus singulari beneuolentia, plurimisq; muneribus prosequebatur, & iucunde aspiciens libenter audiebat, ipsoq; aspectu beneuolentiam declarabat. quæ omnia audaciam ad dicendum, & uerborum copiam suppeditabant. Neq; id solum contigit Demostheni in Macedonia, quamuis eloquentißimus esset, uerum etiam Theophrasto Eresio. Hic enim apud Areopagiticum conuentum defecit, quod postea excusauit dicens, se concilij autoritate perterritum id passum esse, cui Demochares acerbißime, ac prõptißime respondisse fertur his uerbis. Erant, ò, Theophraste iudices Athenienses, non duodecim Dij.

Qui nunquam riserint.

Anaxagoram Clazomenium ferunt nunquam risisse, neq; ab initio subrisisse. Aristoxenus risum oderat. Hera-

clitum in uita ſemper luxiſſe memorant.

De Diogenis interitu.

Cum Diogenes Sinopenſis morbo correptus uitæ finem appropinquare cerneret, ſe ipſum de ponte quodam, qui prope Gymnaſium erat, deiecit, iußit tamen prius palæſtræ præfecto, ut, cum primũ expiraſſet, ſe in Ilyſſum proijceret. Adeo Diogenes et mortis, & ſepulturæ nullam habuit curam.

De Philippi continentia in uictoria, & quid uoluerit ſibi in mentem reduci.

Cum Philippus in Chæronæa proſpere aduerſus Athenienſes pugnaſſet, uictoria quidem elatus nõ imprudenter, aut ſuperbe ſe geßit. Et propterea puero mandarat, ut illud mane in memoriam reduceret, quòd eſſet homo, atq; id unum potißimum curaret. Quare is non prius accedebat ad Regem, neq; alius introibat, quàm puer ter quotidie alta uoce cum clamore pronuntiaſſet. Philippe homo es.

De Solone, & Piſiſtrato.

Solon Execeſtidæ filius iam ſenex ſuſpicabatur Piſiſtratũ Tyrannidem occupaturum, quo tempore Piſiſtratus in concionem Athenienſium progreſſus præſidium poſtulabat. Cum autem uideret Athenienſes Piſiſtrato aſſentiri, & ſe parum proficere, dixit, aliquibus ſe ſapientiorem eſſe, aliquibus uero fortiorem. Illis ſapientiorem, qui non uident Piſiſtratum accepta cuſtodia Tyrannum fore: fortiorem autem illis, qui, cum id ſentiant, conticeſcunt. Piſiſtratus cũ acceptis copijs Tyrãnidẽ occupaſſet, ſedens Solon ante domum, & prope poſito ſcuto, et haſta dicebat ſe armatum eſſe, & pro uiribus opem ferre.

patriæ, non Imperatorem ætatis culpa, sed animo beneuolum. Tunc Pisistratus seu ueneratione, qua uirũ complectebatur, & eiusdem sapientia, seu etiam recordatione eorum, quæ adolescens commiserat (ferunt enim ipsum impudice adamatum fuisse) nullo eum malo affecit. Solon paulo post senio confectus uita excessit, magnamq; & propter sapientiam, & propter fortitudinẽ gloriã apud posteros reliquit, in cuius honorẽ Athenienses nõ solum æream statuam in foro erexerunt, sed etiam publice posito apud urbis portas dextra ingredientium sepulchro eum honestarunt.

De Oenycino Zanclæorum Monarcha.

Oenycinus Scytha Zanclæorũ Monarcha traiecit in Asiam ad Darium regem, existimatusq; est ab illo æquißimus omnium hominum, quęcunque ex Græcia unquam uenissent. Idem cũ Regem rogasset, profectus est in Siciliam, rursusq; ex Sicilia ad Regem. Id autẽ à Democide Crotoniata non est factum, & propterea eum Darius deceptorem, & peßimũ hominem uocabat. Cum igitur Scytha inter Persas felicißimus esset, iã senex uita exceßit.

De Euthymo, de heroe Temessæo, & prouerbio.

Euthymus Locrẽsis optimus inter Italos pugil creditus est, & corporis robore ualuisse. Saxum enim maximũ ostendunt Locrenses, quod allatum humeris pro porta statuit. Idem Temessæum heroem tributa à finitimis extorquentem cobibuit. Ingressus enim in eius templum, quod plerisq; inacceßibile erat, coægit illum, quidquid per uim abstulerat, reddere etiam cum fœnore. Atq; hinc prouerbium natum putant, ijs, qui sordidos, & iniustos quæstus faciunt, ad fore Temessæum heroa.

Ferunt eundem Euthymum, cum descendisset ad flumen Cæcin, quod Locrensium urbem præterlabitur, repente è medio sublatum euanuisse.

Tumulus Anaxagoræ, & ara eiusdem.

Hic stat Anaxagoras, quem iam ascendisse cacumen
Cælestis uerum credimus ad Sophiæ.

Ara quoque ei erecta est, & inscripta, partim mentis, partim ueritatis.

AELIANI DE VARIA HISTORIA

LIBER NONVS.

Quòd Hieron doctrinæ studiosus fuerit, liberalis, & unà cum fratribus amice uixerit.



Ieronem Syracusanum ferunt Græcorum studiosißimum fuisse, plurimi rerum cognitionẽ fecisse, adeoq; ad liberalitatem procliuem, ut ipse promptior esset ad largiendum, quàm petentes ad accipiendum. Erat animo illustris, & magnificus. Cum tribus fratribus leniter, & amice uixit, à, quibus etiam diligebatur. Idem cum Simonide, & Pindaro familiariter erat; Neq; Simonides senio confectus ueritus est ad eum proficisci. Erat enim Cæus natura attentior ad rem, quàm decebat. Et propterea Hieronis liberalitate magis etiã accendebatur.

De Taurosthenis uictoria.

Eodem die Taurosthenis uictoria patri ipsius ex Olympia Aeginam perlata fuit, nonnulli per spectrum dicunt. Alij tradunt Taurosthenem abduxisse secum à proprijs pullis adhuc humidis, & implumibus columbam, statimq; post uictoriam eam emisisse purpura indutam, atque eodem die ad pullos properantem ex Pisa in Aeginam redijsse.

De nonnullorum, & Alexandri luxu, ac superbia.

Cum Alexander permitteret socijs, & familiaribus suis molliter, delicateq; uiuere, hac ratione eorum animos à fortitudine, ad ignauiam, & ocium turpiter traducebat. Siquidem Agnon aureis clauis crepidas suffigebat; Cletus, si quando ius dicturus erat, purpurea ueste indutus supplicibus, & reis sese offerebat. Perdiccam, & Carterum exercitationis cupidos Diphtheræ stadij magnitudine sequebantur, quibus spatiosum locum circumplectentes in castrametationibus exercebantur. Comitabatur eos & multus puluis à iumentis excitatus, exercitationibus quidem utilis.

Leonnatum, & Meneldum uenationi deditos tentoria stadiorum centum magnitudine sequebantur. Alexandro ipsi tabernaculum erat mensarum centum, quinquaginta autem columnæ aureæ interiacebant, quibus culmen nitebatur. Culmen auratum erat, & picturis, ijsq; eximijs elaboratũ. Circa ipsum primum Persæ ij, qui Melophori dicebantur, quingenti numero, purpureis, & Melinis uestibus induti stabant. Hos iuxta sagittarij mille flammeo, & Hysgino tincto habitu ornati. Ante, Macedones centum argenteo scuto armati. In medio ta=

bernaculo posita erat aurea sella, in qua sedens Alexander ius dicebat, circunstantibus omni ex parte satellitibus. Septum autem tabernaculum circundabat, ubi mille erant Macedones, Persarum decem millia, neq; facilis dabatur unicuiq; aditus. Nam cum Alexander & ab animi elatione, & à fortuna ad Tyrannidem sublatus esset, ab omnibus metuebatur.

De Polycratis studio erga Anacreonta, & Zelotypia.

Polycrates Samius poeticæ studiosus erat, & ob id Anacreonta Teium honore maximo prosequebatur, & eu, eiusq; carmina plurimi faciebat. Huius autem luxum non probo. Commendarat aliquando uehementer Anacreon Smerdiam polycratis amores, qua laude gauisus adolescens Anacreonta animi, non corporis amicum caste diligebat. Nequis autem per Deos immortales idcirco Teium poetam reprehendat, neque Lasciuum dicat. Polycrates Zelotypia motus, quoniam Smerdiam ornarat Anacreon, uidebatq; à puero poetam mutuo diligi, pueri capillos totondit, ratus id puero ignominiæ fore, Anacreonti uero dolori. Poeta tamen prudenter dißimulauit se Polycratem accusare, culpamq; omnẽ in adolescentem transtulit in ijs carminibus, in quibus audaciæ, & stoliditatis eum insimulat, quòd contra suos ipsius crines arma sumpsisset. Carmina autem de ui illata comæ Anacreon canat. Id enim aptius nobis faciet.

De Hierone, & Themistocle.

Celebrabantur Olympia, ueneratq; eò cum equis Hiero certaturus. Themistocles autem prohibuit Regem, à certamine dicens, æquum esse eum, qui maximi periculi nõ

fuisset particeps, publico quoque conuentu carere: ob quod dictum Themistocles laudem meruit.

De Pericle, & eius liberis pestilentia consumptis.

Cum Pericles pestilentia Athenis sæuiente liberorum mortem infracto animo tulisset, docuit ciues amicißimorū interitu non commoueri.

De Socratis constantia & alacritate in omnibus.

Dicebat Xanthippe, cum uarijs casibus ciuitas iactata fuisset, Socratem semper à se eodem uultu uisum esse, & domo egredientem, & reuertentem; Ad omnia enim præclare se adaptabat Socrates, & cum mente esset quieta, omnem mœrorem, & metum superabat.

Quòd Dionysius incontinens fuerit in amoribus mulierum.

Cum Dionysius iunior in Locrensium urbem introijsset (erat enim Doris eius mater Locrensis) occupatis potentißimorum, qui erant in ciuitate, domibus, stratisq; rosis, serpyllis, & alijs florum generibus, Locrensium filias ad se accersiuit, ibiq; omnes intemperantißime constuprauit, cuius etiam rei pœnas dedit. Nam deleto eius imperio à Dione, Locrenses omnes ij præsertim, quarum uirginibus uis illata fuerat, Dionysij uxorem, & filias corruperunt, omnibusq; modis iniurijs, & contumelijs affecerunt. Quibus postea satiati fixis sub earū unguibus acubus omnes peremerunt, ossa in mortarijs attriuere, Carnes quoque ab oßibus extractas quicunq; non gustasset, eum execrati sunt. Quicquid ex ijs superfuit, in mare proiecerunt. Dionysius post multos, & uarios casus ob inopiam tandem stipem cogendo, tympana pulsando, & tibia canendo uita exceßit.

Quòd & Demetrius incontinens fuerit.

Demetrius, qui Poliorcetes ab exitio urbium dictus est, suo ipsius luxu abutens M. *&* CC. *talentorum prouentum singulis annis sibi comparauit. Quorum pauca ad alendum exercitum expendebat, cætera intemperanter effundebat. Vnguentis pauimentum aspersum erat, & singulis anni partibus recentes flores spargebantur, ut per ipsos incederet. Erat idem muliebribus, puerilibusq; amoribus maxime deditus; Studebat formæ, atque ita ut capillos componeret, in flauos mutaret, faciem ungeret, Pæderote (est autem unguenti genus à conciliandis puerorum amoribus ita dictum) & alijs unguentis uteretur, ignauiæ indulgens.*

Quòd Plato paruam uitæ curam gesserit.

Plato, cum ei dictum fuisset insalubrem esse Academiæ locum, consulerentq; medici, ut in Lyceum transmigraret, recusauit dicens. Ego ne ad superiora quidem Atho loca, quæ saluberrima sunt, transmigrarem, ut diutius uiuerem.

De Parrhasio pictore.

Parrhasium pictorem purpurea ueste, & aurea corona usum fuisse & alij testantur, & inscriptiones in multis illius imaginibus declarant. Cum hic aliquando Sami cum aduersario non longe inferiori contendisset, superatus est. Inscriptio ipsarum erat; Aiax pro Achillis armis decertans cum Vlysse. Parrhasius uictus ualde urbane respondit cuidam condolenti; Dicebat enim se, non quòd uictus fuisset, solicitum esse, sed propter Telamonis filium iterum superatum dolere; Tenebat idem baculum aureis capreolis ornatum, lorisq; aureis calceorũ

tegmina constringebat. Eundem ferunt neque inuitum, neque laboriose artem suam exercuisse, sed promptißime, & facillime. Cantu enim laborem, quem ex ipsa arte percipiebat, leuare consueuerat. Scribit hæc Theophrastus.

De Epicureis eiectis à Romanis, & Messeniis.

Romani Alcæum, & Philiscum Epicureos ciuitate eiecerunt, quòd multarum, & absurdarum uoluptatum adolescentibus essent authores. Idem fecerunt Messenij.

De Dionysij edacitate, & pinguedine.

Audio Dionysium heracleotam Clearchi Tyranni filium ex quotidiana edacitate, & luxu paulatim corpulentum, & obesum factum, atque ex hac corporea magnitudine, & carnis tumore in dyspneam incidisse. Huius autem morbi remedium tale excogitarunt medici. Tenuißimis, longißimisq; acubus latera, & uentrem transfigebant ij, quibus hæc cura data fuerat, eo tempore, quo ꝓfundißimo somno oppressus iacebat. Ille uero quãdiu acus per solidam, & alienam ueluti carnem impellebatur, lapidi quàm simillimus stabat. Vbi uero acus ad eã corporis partem, quæ firma erat, & propria, neque ex nimia pinguedine aliena, transisset, tunc ille somno excitabatur. Ius dicturus cistam corpori prætendebat (alij non cistam dicunt, sed paruam turrim,) ut reliquas corporis partes occultaret, sola autem facies superemineret. Mala ò Dij immortales ueste indutus, & potius feræ latebra, quàm humano habitu.

De gracilitate Philetæ.

Philetam Coum dicunt corpore gracillimum fuisse, atque ita, ut cum paulo momento huc, & illuc impelleretur,

plumbeas laminas plantis adhibuerit, ne à uentis, si forte uehementius flassent, raperetur. Quòd si adeo imbecillis erat, ut flatui non resisteret, quomodo credibile est potuisse illum id oneris trahere? Mihi quidem non uidentur hæc digna fide. Quicquid autem diximus, apud alios scriptum legitur.

De Homero.

Argiui cæterorũ poetarũ principẽ Homerũ uoluerũt esse, reliquos in secundis statuere. Nã sacris operã dantes Homerũ, & Apollinẽ ad conuiuium, & hospitalitatẽ uocabant. Illud quoq; fertur illum, cum præ inopia nesciret, cui filiam locaret, pro dote ei Cypria poemata dedisse. quod etiam Pindarus scripsit.

De Italia, & Mare Hippomige, hoc est homine, & equo.

Italiam initio habuere Ausones indigenæ. Antiquißimum autem fuisse Marem quendam nomine, cuius anterior corporis pars homini, posterior equo similis dicitur fuisse. Id enim uerbum Hippomiges significat. Ego uero arbitror propterea duplicis naturæ creditum, quòd primus equum inscenderit, & frenum imposuerit. Fabulantur eundem centum, & uiginti tres annos uixisse, quod mihi profectò à ueritate alienum uidetur. Italiam ferunt tenuisse tot nationes, quot non aliam regionem. Idq; est causæ, quòd regio incredibili est cæli temperie, & præstantia, sunt aquosa loca, fertilia, pascuis apta, & à fluuijs irrigua quodq; pulcherrimũ mare ipsi adiacet, portubus ex omni parte, diuersorijs, & stationibus diuisum. Incolarum præterea humanitate, & beni-

gnitate allecti multi sedes proprias mutarunt, & in Italia Mille centum, & nonaginta septem urbes tenuere.

De Demosthenis superbia.

Hoc, quod de Demosthene circumfertur, uidetur hominis leuitatem declarare. Ipse enim solitus erat efferri, & gestire, quãdo de eo prætereũte hydrophori, & baiuli admurmurassent. Quòd si huiuscemodi hominũ tacitis uocibus exultabat, qualem fuisse credimus, cum populi plausibus excipiebatur?

De Themistocle.

Themistocles Neoclis filius se ipsum quercubus comparabat, ad quas dicebat tempestate deprehensos confugere, reddita autem serenitate eosdem solitos eas euellere, & confringere. Idẽ dicebat, si quis duas mihi uias ostenderet, alteram ad inferos ferentem, alteram ad suggestum, libentius per eam irem, quæ ad inferos ducit.

Demosthenes vocanti Diogeni in cauponam noluit parere.

Accumbebat aliquando in caupona Diogenes, & cum prætereuntem Demosthenem uocasset, neque is pareret. Erubescis, inquit, in Cauponam ingredi, quem locũ dominus tuus quotidie frequentat? intelligebat autem populum, & singulos. Concionatores enim & oratores multitudini seruiunt.

De Aristippo.

Cum nauigaret Aristippus, superueniente tempestate ualde extimuit. Quidam uero ex ijs, qui unà erant, Times & tu inquit, ò, Aristippe, quemadmodum plerique faciunt? Neque iniuria, respondit, Vobis enim

misera uita, & præsens periculum curæ est, mihi uero felicitas.

De Theramene.

Gratulabantur Athenienses Therameni, quod, cum primũ domo egressus esset, statim ea corruisset. At ille præter omnium spem respondit, ò, Iuppiter, cui me occasioni reseruas? Nec multo post hausto ueneno, à, triginta Tyrannis de medio sublatus est.

Aliqui medicinæ studiosi.

Pythagoreos, Platonem, Aristotelem Nicomachi filium, & alios complures maximum studium in medicinæ cognitione percipienda posuisse legimus.

De Aristotele ægrotante.

Cum aliquando Aristoteles ægrotaret, iußissetq; ipsi medicus nescio quid. Tunc ille, Ne cures me, inquit, tanquàm bubulcum, aut fossorem; prius tamen morbi causam expone, ut utaris me ad obsequendum paratißimo, his docens nullam curationem non inuenta prius causa adhibendam.

De Smindyridæ mollicie.

Smindyrides Sybarita ad id luxus progressus est, (hoc enim est proprium Sybaritarum) ut cum semel rosarum folijs cubasset, & postea surrexisset, dixerit se pustulas ex lecto habere. Hic igitur non potuisset cubare humi, non in palea, non in herba in accliui loco posita, non in tauri pelle, quemadmodum Diomedes digna mehercule milite toleranti, & generoso.

Agrestis tauri pellis substrata iacebat.

Quomodo Pisistratus se gesserit erga ciues suos.

Pisistratus imperio potitus accersebat eos, qui ociose in fo-

ro considebant, interrogabatq́; , quæ nam ocij causa esset, dicens. Si forte iumenta tua perierunt, meis acceptis abi, & terram cole. Si indiges seminibus, hæc quoque à me accipias. Verebatur enim ne ex diutino ocio animi suorum ad insidias conuerterentur.

De Zenone, & Antigono.

Antigonus Rex Zenonem Cittiensem uenerabatur, & colebat. Aliquando autem accidit, ut uino repletus eundē irrideret, oscularetur, & tanquā temulentus amplecteretur, iuberetq́;, quidquid uellet, petere, se enim iureiurando interposito omnia iuuenili liberalitate præstiturum affirmabat; Tunc Zeno, abi, inquit, & uome. Grauiter, & magnifice ebrietatem obiecit, eiusq́; saluti consuluit, ne scilicet ex nimia repletione rumperetur.

Simplicitas morum.

Quidam Laconicum hominem, sed agrestem increpabat, quod nimis acriter lugeret, At hic. Quid faciam? inquit. Non enim ego huius author sum, sed naturæ imbecillitas.

De Diogene.

Spartanus quidam illum hesiodi carmen laudabat.
Non bos intereat, nisi sit uicinus iniquus.
Id cum audiret Diogenes, Messenij tamen, inquit, & eorum boues interierunt, & uos uicini estis.

Socrates intrepidus erat, & dona aspernabatur.

Socrates aliquando intempesta nocte reuertebatur à cæna. Id cum adolescentes quidam proterui præsensissent, redeunti insidiabantur cum accensis facibus, & furiarum laruis. Consueuerant autem hi in alios eodem

modo se gerere ex nimio ocio, quo ad deteriora utebantur. Socrates eos intuitus non extimuit, sed eadem interrogauit, quæ alios quoque uel in Lyceo, uel in Academia solebat.

Contendebat Alcibiades studiose multis donis Socratem sibi deuincire. Quare cum obstupuisset Xanthippe, rogaretq́; ut illa acciperentur, Nos quoque, inquit Socrates, contendamus, ne ea accipiamus, quemadmodum Alcibiades contendit dare. Cum uerò alius eidem dixisset. Magnum est assequi, quæ quis appetit, respondit. Maius est non appetere.

De Anaxarchi prouidentia.

Quo tempore Anaxarchus unà cum Alexandro militabat, cum superueniente tempestate præsensisset Alexandrum in loco lignis uacuo castrametaturum esse, absconditis sarcinis, quascunque habebat, in tabernaculo, sarcinarios baiulos lignis onerauit. Cum igitur ad tabernaculũ peruenissent, & lignis opus esset, Alexandri mensæ comburebantur, ut se calefaceret. Tunc igitur nuntiatum est ei ignem esse apud Anaxarchum. Quare eò profectus, unctusq́; in illius tabernaculo, hominis prouidentiã collaudauit, &, quæ amiserat, duplo reddidit, uasa, & uestes, quemadmodum ignis necessitas postularat.

De Athleta uictore mortuo, priusquàm coronam acciperet.

Cum Athleta quidam Crotoniata uictor in Olympijs adiret iudices coronam accepturus, comitiali morbo oppressus interijt.

De statuis Phrynæ meretricis, & equarum Cimonis.

Phrynæ meretricis imaginem Delphis erexerunt Græci in columna alta. Non dico Græcos omnes, ne uidear eos, quos maxime amo, improbare. Sed Græci ij, qui intemperantiores erant. Statua autem erat aurea. Cimonis quoq; equæ ex ære factæ uiuis quàm simillimæ Athenis stabant.

Responsum adolescentis interrogati à patre, quid didicisset.

Adolescens Eretriensis diu Zenonis auditor fuit; hunc domum reuersum interrogauit pater, quid nam graue, & serium didicisset. Qui cum se ostensurum dixisset, ira percitus pater filium doloris uictorem, & tacitum uerberibus multis castigauit. Postremo puer se, inquit, didicisse paternam iram ferre.

De sumptuose uestitis.

Cum Diogenes Olympiam profectus uidisset in conuentu illo Rhodiacos quosdam adolescentes magnifice indutos, ridens, hoc est superbia, inquit. Postea Lacedæmonios nactus uilibus, sordidisq; tunicis uestitos, alia hæc, inquit, superbia.

De Antisthenis arrogantia ob lacerum pallium.

Intuitus Socrates Antisthenem uestis partem laceram semper ostentantem, Non cessabis, inquit, te apud nos ostentare?

De Antigono, & Psalte.

Psaltes apud Antigonum artem suam ostentabat; Cum uero Antigonus sæpius diceret, Torque Netem, deinde rursus Mediam; Tunc indignatus hic. Dij auertant,

inquit, ut hæc tibi ars notior sit, quàm mihi.

Quomodo Anaxarchus riserit Alexandrum se ipsum Deum facientem.

Anaxarchus cognomento Eudæmonicus deridebat Alexandrum, quòd se ipsum Deum faceret. Cum enim aliquando Alexander ægrotaret, iußissetq; medicus sorbillationem parari. Ridens Anaxarchus, Spes, inquit, Dei nostri positæ sunt in unius poculi sorbillatione.

De Alexandro, & Paridis Lyra.

Alexandro Troiam profecto, & diligentius omnia consideranti quidam Paridis lyram ostendit. At hic, mallem, inquit, Achillis lyram uidere. Desiderabat enim rem strenui militis, qua ille clarorum uirorum facta recensebat. Paridis uero lyra quid aliud cecinit, quàm adultera carmina, & qualia muliebres animos allicere, & demulcere possent?

De ridiculis, & inopinatis amoribus.

Nonne dicendi sunt hi amores ridiculi, & inopinati? Et primum Xerxis, qui platanum amauit, Deinde adolescentis cuiusdam Atheniensis nobilis, qui adeo Bonæ Fortunæ simulachrum, quod erat ad Prytaneum, adamauit, ut illud complecteretur, & oscularetur. Qua cupiditate, uel potius libidine cum fureret, adijt Senatum, precibusq; rogauit fieri sibi statuæ potestatem, magnam pecuniæ uim pollicitus. In quo cum repulsam passus esset, statua multis tænijs coronata, alioq; precioso apparatu circumposito, sacris peractis, multisq; lachrymis effusis, sibi ipsi mortem intulit.

A Glauca Citharistria ferunt aliqui amatum esse canem,

alij arietem, alij uero anserem. Solis Ciliciæ urbe, canis amatus fuit à Xenophante puero, Et monedulam Spartæ alius adolescens formosus dilexit.

De gubernatoribus punicarum nauium.

Chartaginienses gubernatores binos singulis nauibus præficiebant, absurdum esse dicentes, nauim duos clauos habere, eum autem, qui nauigantibus utilißimus esset, & nauis imperium haberet, successore, & socio carere.

De pausania, & Simonide.

Accubuerunt unà Simonides Ceus, & Pausanias Lacedæmonius. Pausanias Simonidem hortatus est, ut aliquid sapienter dissereret. Confestim Ceus ridens. Recordare, inquit, te esse hominem. Quod dictum Pausanias Medorũ amore iam incensus, & ob amicitiam cum rege erectior, & fortasse uino grauatus, contemnendum duxit. Postquàm uero in Chalciœco fuit, & fame uexabatur, omniumq; miserrime se obiturum cernebat, tunc recordatus Simonidis, ter dixisse fertur, ò, Cee hospes egregie locutus es, ego uero stultitia adductus sermonem tuum nihili feci.

De Artaxerxe, & Dario.

Cum Artaxerxes Darium seniorem ex filijs sibi insidiantem occidisset, ætate posterior, patre approbante, se ipsum ante regiam gladio transfixit.

AELIANI DE VARIA HISTORIA

LIBER DECIMUS.

De Pherenice, quæ Olympicos ludos spectauit.



Duxit ad olympicum certamen Pherenice filium suum. Prohibentibus eam spectare, qui præsidebant, (lege enim à spectaculo arcebantur fœminæ) licere id sibi dixit, quæ patrem, & fratres tres haberet Olympionicas, & filium certatorem; Atq; ita Olympia spectauit, & uictorem filium reduxit.

De Eubatæ continentia.

Lais intuita Eubatam Cyrenæum, adeo uehementer illius amore exarsit, ut de nuptijs sermonem iniecerit. Veritus hic mulieris insidias, facturum se omnia post certamen recepit. Nunquàm tamen cum ea concubuit, Vixit enim continentissime. Victor Eubatas, ut pactorum uiolationis crimen euitaret, expressam Laidis imaginē secum Cyrenem duxit, dicens se Laidem habere; neque pacta uiolasse. Propterea mulier, quæ lege illi nupserat, maximam Eurybatæ statuam erexit Cyrene, ipsum eadem continentia remunerans.

De natura aliquorum animalium.

Perdicum pulli, cum primum è cortice pedes emiserunt,

uelocißimi sunt. Anatum pulli uiso lumine statim post partum natant. Leonum catuli ad lucem properantes matrum uteros unguibus deliniant.

De celeritate Alexandri in gerendis rebus.

Alexander Philippi filius armatus triginta stadiorum iter nulla intermißione facta confecit, congressusq; cum hostibus, antequam exercitus quiesceret, uictoria potitus est.

De Tyrannis ex uerbis Aesopi.

Verba sunt Phrygia, ab Aesopo phryge conscripta. Suem siquis attigerit, clamare, & meritò, cum neq; lanas, neq; aliud eiusmodi habeat. Statim enim sibi mortem uaticinatur, quippe quæ aptima nouit, cui usui futura sit hominibus. Eadem est Tyrannorum ratio. Hi enim & suspectos habent suos, & metuunt, cum sciant se, quemadmodum sues, omnibus uitam debere.

De uiris gracilibus.

Carpebatur à Comicis nimia horum gracilitas; Sannyrionis comici poetæ, Meliti Tragici, Cinesiæ circularium saltationum poetæ, & Philetæ Heroicorum, carminum, Archestratus uates captus ab hostibus, et ad libram appensus, inuentus est oboli pondere, Panaretus macilentißimus erat, uixit tamen corpore satis firmo. Ferunt Hipponacta poetam non solum corpore paruum fuisse, & deformem, sed etiam gracilem. Philippides, in quem Hyperidis oratio extat, sic tenui fuit corpore, ut etiam πεφιλιππῶσθαι dixerint, pro macruisse. Alexis hæc scribit.

De aliquibus astrologis, & de magno anno.

Oenopides Chius astrologus dedicauit in Olympia æreum

libellum, in quo astrologiam quinquaginta nouem annorum complectebatur, & magnum esse annum prædicabat. Meton lacon *astrologus columnas erexit, in quibus solis solstitia expreßit, magnumq; annum inuenit, dicens eum decem, & nouem annos continere.*

De beneficentia.

Dicebat *Aristoteles Cyrenæus non accipienda ab aliquo beneficia.* Eum enim *qui studeat gratiam referre, solicitum esse, qui non referat, ingratum uideri.*

Quòd Philoxenus fuerit helluo.

Philoxenus *helluo erat, & uentri obnoxius.* Hic *cum aliquando in Caupona Patella coqueretur, diu quidem oblectabatur odore illo contentus.* Vbi *uero desiderium creuit, & naturæ prauitate (ò Dij immortales) uincebatur, tunc mandauit puero, ut Patellam emeret.* Cum *uero hic respondisset plurimo uendi precio.* Erit, *inquit, suauior, si maiori empta fuerit.* Oportet *autem horum meminisse, non ut ea imitemur, sed ut fugiamus.*

De ueteribus pictoribus.

Cum primum pictura initium habuit, & nescio quo pacto lacte, & fascijs inuoluta iacebat, adeo imperite effingebant pictores animalia, ut ipsis inscriberent. Hoc *est bos, illud equus, hoc arbor.*

De Diogene dolente ex humero.

Diogenem *dolentem ex humero, ex uulnere opinor, uel alia causa, quidam insultabat dicens.* Cur non moreris ò Diogenes, *teq; ab his malis exoluis?* Illos, *respondit, qui sciũt, quæ agenda, & dicenda sunt in uita, decet uiuere (horũ enim unum se prædicabat esse)* Tibi, *qui utrunq; ignoras, rectius esset mori.* Me *uero omnium peritum de-*

cet uiuere.

Archytæ Apophthegma de hominibus.

Dicebat Archytas. Quemadmodum difficile est inuenire piscem, in quo non sint spinæ, ita & hominem non fraudulentum, & spinosum.

Quòd Archilochus seipsum accusarit.

Reprehendit Critias Archilochum, quòd de se ipso male scripserit. Nisi enim, inquit, ille hanc famam ad Græcos diuulgasset, ignoraremus profectò eum Enipò serua natum esse, relicta Paro ab inopiam se in Thasum contulisse, Thasijs inimicum factum, eodem modo de amicis, & inimicis locutum, Moechum fuisse, lasciuum, conuitiatorem, &, (quod omnium turpißimum) abiecto scuto aufugisse. Nō fuit profectò dignus sibi testis Archilochus, cum talem de se famam, & opinionem apud omnes reliquerit. Horum ego omnium non accuso Archilochum, sed Critias.

De Pigritia.

Dicebat Socrates pigritiam sororem esse libertatis, & huius rei testes adducebat fortißimos, & liberrimos Indos, & Persas, utrosque enim, quantum ex ipso corporis cultu, & habitu perspici poterat, ignauißimos. Phrygas autem, & Lydos magis operarios in aßidua seruitute degere.

De ijs, quibus Aristides, & Lysander filias desponderant.

Græci ij, qui cæteris ea tempestate præstare uidebantur, Aristidis adhuc uiui filias uxores sibi asciuere, non illius me hercle probitate, neq; admirabili iustitia impulsi; Nam si horum imitatores fuissent, sponsioni cer-

te mansissent. Mortuo patre nullam sibi rem esse cum uirginibus dixerunt. Aristidis enim paupertas miseros homines à gloriosis, & grauißimis, mea sententia, nuptijs deterruit. Idem & Lysandro contigit; Cum enim animaduertissent eũ inopem esse, uirgines repudiarunt.

De Antisthene, & Diogene.

Cum multos Antisthenes ad Philosophiam hortaretur, neq; aliquis esset, qui obtemperaret, indignatus neminem admittebat, et Diogenem à consuetudine sua penitus amouit. Vbi uero Diogenes acrius instabat, & precabatur, ille baculo se acturũ minatus est, quod etiam aliquando fecit. Diogenes nihilominus in eadem constabat sentẽtia, cupiebatq; illum audire dicens. Percute, si ita uidetur; ego enim caput supponam, neq; baculo adeo duro uteris, ut me à colloquijs, & coniunctione tua arceas. Ex hoc Antisthenes Diogenem complexus est.

De ijs, qui ex publicis administrationibus locupletes facti sunt.

Scribit Critias Themistoclem Neoclis filium, priusquam publica aggrederetur, tria possedisse talenta, quæ summa ei à patre relicta fuerat, postquam uero ad remp. se contulit, & eius exulis fortunæ sub hasta uenditæ sunt, inuenta esse supra C. talenta. Ferunt etiam Cleonẽ ante publicas administrationes nihil habuisse, post autem quinquaginta talenta reliquisse.

De Syracusano Daphnide, & Bucolicis carminibus.

Daphnin bubulcum ferunt alij à Mercurio amatum, alij eius filium, nomen autem ex euentu habuisse. Natum enim ipsum ex Nympha, & prope laurum expositum.

Boues, quæ ab eo pascebantur, sorores fuisse solis memorant, quemadmodum Homerus in Odyssea scribit. Cum hoc, dum in Sicilia bubulcus esset, nympha quædam eius amore capta rem habuit, formoso sane, & iam lanuginem emittente, qualis speciosorum adolescentum solet esse, ut Homerus alibi dicit. Pactus est eo tempoee Daphnis cum illa, se nullam aliam feminam aditurum. Quod si fecisset, fatale dicebat esse Nympha, ut luminibus priuaretur. Atq; inter se ita pepigerunt. Multis autẽ post diebus cũ ebrius concubuisset cum regis filia, à qua unice diligebatur, oculorum aspectum amisit, atq; hic casus bucolicis uersibus materiam dedit. Primusq; Stesichorus Himereus id genus carminum conscripsisse dicitur.

De quodam, qui proprios dentes deuorauit.

Eurydamas Cyrenæus pugillatu uictor collisos ab aduersario dentes deuorauit, ne id aduersarius cognosceret.

De Agesilao.

Cum Persarum Rex Agesilao significasset illum à se amici loco haberi, responsum dedisse fertur Agesilaus, se publice amicum fore, priuatim minime.

De Platone.

Cum Perictione Platonem in ulnis gestaret, & forte Aristo musis, uel Nymphis in Hymetto sacra faceret, alijq; sacris operam darent, mater in uicino Myrteto denso, & umbroso Platonem reclinauit. Cuius dormientis labris apes succinentes hymettij mellis uim instillare uisæ sunt: prædicentes futuram Platonis in dicendo suauitatem, & eloquentiam.

De Dioxippo.

Dioxippus præsente Alexandro, et Macedonibus congres=

sus cum Chorrhago Macedone claua eius hastam perfregit, cumq; armatum uirum corripuisset, et prostrati ceruicem ascendisset, machæra, qua cinctus erat, militem occidit. Quod cum animaduertisset Alexandrum moleste tulisse, & se odio haberi, præ nimio dolore perijt.

AELIANI DE VARIA HISTORIA.

LIBER VNDECIMVS.

De Oricadmo, & lucta.



RICADMVS *luctæ legislator primus Siculum morem excogitauit dictum παλαίειν hoc est luctari.*

De uersibus Oroebantij, Daretis, & Melisandri.

Fuerunt ante Homerum Oroebantij Troezenij poemata, quod etiam Troezenij historiographi tradũt. Daretem quoq; Phrygem, cuius Phrygiã Iliada ad hunc usq; diem scio extare, antiquiorem fuisse Homero scribunt. Melisander Milesius Lapitharum, & Centaurorum pugnam conscripsit.

De Iccho, & lucta.

Icchus Tarentinus cum esset luctator primus per totũ cer=

taminis tempus, cœpit moderatiore uictu uti & à Venere abstinere.

De Agathoclis caluicio.

Agathoclem Siciliæ Tyrannũ dicunt indecore, & ridicule caput composuisse. Cum enim paulatim defluentibus capillis denudaretur, præ pudore Myrteam coronam adhibebat, quæ quasi comæ tegmen, & caluicij uallum esset. Syracusani tamen, & Tyrannum caluum esse, & hoc uti remedio sciebant. Non tamen audebant aperte loqui tum propter eius furiosa facinora, tum propter impietatem.

De aliquibus iniuste sacrilegij condemnatis.

Cum Delphis nonnulli sacris operam darent, insidiantes ijs Delphi, in canistra, in quibus thus, & placentæ erant, clam sacras pecunias iniecerunt. Hos postea captos tanquam sacrilegos Delphica lege de saxo præcipitarunt.

De Adultero.

Adulter quidã forte Thespijs captus fuerat, uinctusq; per forum trahebatur, Hunc per uim socij è satellitum manibus eripuerunt. Orta itaq; ex hac re seditione multi utrinque occisi sunt.

De Lysandro, & Alcibiade.

Dicebat Eteocles lacon Spartam duos Lysandros non posse ferre, & Archestratus Atheniensis nunquam Athenas duos Alcibiades. Adeo uterq; insolens erat.

De Hipparchi interitu.

Hipparchum occidit Harmodius, & Aristogiton, eo quòd Harmodij sororem, & fortasse dignã prohibuerat Deæ in Panathenæis patria lege canistrum ferre.

De aliquibus præstantissimis, & egentissimis uiris, qui dona contempserunt.

Græci Principes per omne uitæ tempus in summa egestate uixere. Diuitias igitur aliqui Græcis principibus postponant, quorum uitæ paupertas fatalis contigit, quemadmodum Aristidi Lysimachi filio, qui, quamuis felicissime bellicas res administrasset, multosq; uectigales fecisset Græcis, mortuus tamen suis sumptibus uix potuit sepeliri. Phocion quoq; pauper erat. Cum tamen ei Alexander centum talenta dono misisset, quæsiuit causam, cur hæc daret, cumq; respondissent. Quoniam te solum ex Atheniensibus bonum, & fortem existimat. Permittat igitur, inquit, me talem esse.

Cum Epaminondæ Polymnidis filio egentissimo Iason quinquaginta aureos, misisset, Prior, inquit, iniuriam intulisti. Idem quinquaginta drachmis à quodam ciue fœnore acceptis in exercitus uiaticum, in Peloponesum irrupit, ubi cum audisset scutiferum suum à captiuo pecuniam accepisse. Redde, inquit, scutum, & eme tibi cauponam, in qua degas. Neq; enim posthac te periculis itidem exponere uoles.

Pelopidas increpantibus eum amicis, quòd pecunias contemneret, rem ad uitam necessariam, & utilem. Per Iouem, inquit, utilem, sed Nicomedi huic; ostendens claudum quendam, & mutilum.

Scipio quatuor, & quinquaginta annorum spacio, quos uixit, nihil emisse, neq; uẽdidisse fertur. Adeo paucis egebat. Idem, cum quidam scutum egregie elaboratum ostentaret. Romanum decet, inquit, in dextra spem habere, non autem in sinistra.

Ephialtes Sophonidæ filius pauperrimus amicis decem talenta dantibus repudiauit, dicens. Hæc cogent me uestri rationem habere, & aliquid uobis ex iure condonare; Quòd si rationem non habuero, neq; gratificatus fuero, ingratus uidebor.

De Zoilo.

Zoilus Amphipolitanus, qui in Homerum scripsit, Platonem, & alios, Polycratis auditor fuit. Hic autem Polycrates etiam accusationem scripsit aduersus Socratem. Zoilus uero uocabatur Canis Rhetoricus. Cui barba demissa erat, capillus usque ad cutem tonsus, pallium breue, & supra genua. Cupidus hic maledicendi, & concitandi in se hominum odia, ex quo miser omnibus ludibrio erat. Interrogatus aliquando ab erudito homine, cur omnes maledictis incesseret. Quia, inquit, cum cupiam, nequeo malefacere.

De Dionysio Siculo.

Dionysius Siculus adeo medicinæ studiosus erat, ut ipse mederetur, secaret, adureret, & reliqua faceret.

De placenta missa Socrati ab Alcibiade.

Misit Alcibiades Socrati placentam magnam, & optime paratam, Xanthippe more suo indignata abiectã eam, è, canistro tanquam donum ab amoribus missum amatori, & ad excitandum uenerem idoneum conculcauit. Tunc ridens Socrates neque tu, inquit, illius particeps eris. Quòd siquis arbitratur me uilia, & parua dicere, is planè ignorat Socratis prudentiam ex his rebus etiã leuibus cognosci, cum ea contempserit, quæ pleriq; ad cœnas ornamenti loco adiungi uoluerunt.

De uiro Siculo acutiſsimi uiſus.

Sicilienſem ferunt uirum in Sicilia adeo uiſu ualuiſſe, ut è Lilybæo exeuntem claſſem à Chartagine, numerumq́; nauium maniſeſtißime denotaret.

AELIANI DE VARIA HISTORIA.

LIBER DVODECIMVS.



SPASIA *Phocenſis Hermotimi filia mortua matre partus dolore, educata eſt in ſumma quidē pauper=tate, ſed tamen in continentia & tolerantia.Hæc in ſomnis meliorem in poſterum fortunam, futuramq́; felicitatem ſæpe cernebat, & quòd optimo, fortißi=moq́; uiro locabitur. Huic adbuc puellæ ortum eſt tu=ber ſub ipſo mento,quæ res aſpectui, patri, & ipſi uir=gini iniucunda erat. Confeſtim igitur pater eam medi=co curandam tradit; qui cum pollicitus eſſet ſe datis tribus ſtateribus id effecturum, dixiſſetq́; pater non eſſe ſibi pecuniam, tunc medicus. Ego quoq́;, inquit, medicamentis egeo.Ob hæc Aſpaſia mœſta egreſſa tha lamo inter genua ſpeculum tenebat, ſeq́; in eo non ſine luctu, & gemitu intuebatur. Cum igitur præ doloris acerbitate in lachrymis, & inedia uerſaretur, repente opportunus admodum ſomnus unà cum columba in fœmi nam mutata irrepſit,dixitq́; ei.Bono ſis animo,& omiſ=*

sis medicus, et medicamentis roseas Veneris coronas iam siccas contere, contritasq; tuberi insperge. His auditis, *diligenterq; peractis; tuber euanuit.* Ex hoc *Aspasia æqualium pulcherrima apparuit, quippe quæ formam à pulcherrima quoq;* Dea *acceperat.* Gratiarum etiam *uenustate, & copia florebat, quanta nulli ea tempestate uirgini contigerat.* Flaua erat *coma, & subcrispa, oculis magnis, naso quodammodo adunco, auribus breuioribus, cute molli, & uultus colore rosis quàm simillimo.* Propterea *à* Phocensibus, *cum adhuc infans esset,* Miltò *hoc est,* Minii *appellabatur.* Cernebantur *rubicunda labra, dentes niue candidiores, plantæ perpulchræ, & qualibus formosissimas fœminas* Homerus *insignes esse scribit, cum* καλλισφύρους *uocat.* Vocem *emittebat suauem, & mollẽ, atq; ita, ut aliquis se* Sirenem *audire, quotiescunque illius sermone frueretur, existimaret.* Aliena *erat ab omni muliebri studio, & nimia circa cultum diligentia qui luxus ab immodicis opibus plerunque solet proficisci.* Nam *cum in summa inopia à patre educaretur, non licebat immodicum aliquid ad ueram formam adiungere.* Profecta *est aliquando* Aspasia *ad* Cyrum Darij, *&* Parysatidis *filium, &* Artaxerxis *fratrem, non quidem sponte, neq; à patre missa, sed, (quod plerunque urbibus expugnatis uel* Tyrannis, *uel* Satrapis *cogentibus etiam alijs solet usu uenire) per uim abducta.*

Cum igitur quidã ex Cyri Satrapis *adduxisset eam ad* Cyrum *unà cum alijs uirginibus, statim cæteris pellicibus prælata est, tum propter morum simplicitatem, & uerecundiam, tum propter formæ elegantiam, quæ pror=*

sus ab omni fuco aliena erat. Illud quoq; accedebat, quòd eiusdem prudentia ad conciliandam hominum beneuólentiam plurimum faciebat. Sæpe enim Cyrus in periculosis, & turbulentis rebus consiliorum suorum summam ei credebat, neq; unquam illum pœnituit muliebri sententiæ paruisse. Ducta est igitur Phocensis Aspasia ad Cyrum unà cum tribus græcis uirginibus, quo tempore post cœnam iam in medio potus certamine tumultuabant. Solent enim Persæ cibo repleti uino, & propinationibus incumbere, in potum, tanquam in hostem irruentes. Trium illarum comam domesticæ fœminæ, quæ forte unà uenerant, studiose composuerant, & pharmacorum, fucorumq; uarietate faciem tinxerant. Quin etiam edoctæ fuerant à nutricibus, quomodo deberent Cyri conspectum subire, qua ratione adulari, adeuntem, & tangentem benigne ferre, osculantem non auersari, meretricijsq; alijs disciplinis, & præceptis institutæ, quæ propria sunt fœminarum pulchritudine abutentium. Dederant igitur operam singulæ, ut æquales forma superarent. Aspasia, etsi diu quidem recusarat sumptuosa tunica, picto amiculo indui, balneisq; uti, & inuocatis Dijs omnibus Græcis, & libertatis præfectis, & patre, illum, ac se ipsam execrabatur, rata se in aperta seruitute degere, quòd insolito ornatu, & nimio cultu uteretur, coacta est tamen non sine maximo dolore meretricia omnia facere. Cum igitur aliæ Cyrum intuerentur, subriderent, & lætitiam præseferrent, Aspasia oculos humi fixos continebat, facies rubore quodam flammeo suffundebatur, lachrymæ ab oculis manabant, omnibusq; modis manifesta uerecundiæ signa uideban-

tur. Posteaquam uero iußit Cyrus mulieres propius sedere, cæteræ quidem alacriter paruerunt; Phocensis uero ne uisa est quidem mandatum audire, quoad per uim abreptam Satrapa coegit sedere. Cum autem Cyrus attrectaret eas, earumq; oculos, genas, & digitos ardentius perspiceret, reliquæ facile patiebantur. Aspasia uero, cum Cyrus extrema tantum manu illam attigisset, clamauit, dixitq; eum pœnas daturum, si talia fecisset. Gauisus est uehementer Cyrus, & cum eadem tanquam inde discessura surrexisset, (mammas enim attrectarat) tunc Darij filius animi magnitudinem præter Persicum institutum admiratus, conuersusq; ad emptorem. Hanc unam, inquit, liberam, & incorruptam duxisti, reliquæ & facie, & moribus dolos præseferunt. His motus Cyrus hanc unice postea dilexit, & magis quàm alias, quibus cum prioribus temporibus uersatus fuerat, fœminas, & ab ea quoque unice diligebatur, atque adeo mutuus amor creuit, ut & mutuus quoq; esset honor, concordiaq;, & modestia proxime, ad græcas nuptias accederent. Fama itaq; amoris regij in Aspasiam & ad aures magni regis peruenit, & in Ioniam usq;, totamq; Greciã permanauit. Peloponnesus sermonibus, qui de Cyro, & de ea habebantur, personabat, omnesq; pro certo habuerunt nunquam postea Cyrum cum alia muliere rem habuisse. Post hæc igitur in mentem uenerunt Aspasiæ priora insomnia, columba, eius sermones, & quæcunque Dea prædixerat, in cuius se tutela, ac custodia ab initio fuisse existimabat. Veneri sacra exhibebat cum propter nuptias, tum maxime propter accepta beneficia. Primũ igitur Idolum ei consecrauit aureum mediocris magni-

tudinis, quod Veneris *simulachrum esse tacite secum dicebat, cui columbam etiam gemmis distinctam apposuit, quotidianisq; sacris, & laudibus* Deam *placabat*. Misit *Hermotimo patri dona multa, & egregia, ipsumq; ex inope diuitẽ reddidit. Vixit continentur, & caste, quemadmodum* Persicæ, Græcæq; *fœminæ affirmant*. Paucis *post diebus cum è* Thessalia *iunior* Scopas *monile ad* Cyrum *misisset, quod è* Sicilia *sibi donatum* Scopas *acceperat, lætatus est uehementer muneris præstantia* Cyrus. Neq; *enim quisquam fuit ex ijs, quibus donum illud* Rex *ipse spectandum obtulerat, qui non admirabili quadam arte, & uarietate elaboratum diceret, & obstupesceret*. Cum *hoc meridiana hora profectus ad* Aspasiam Cyrus, *dormientem offendit*. Quare *subter uestem insinuans & propè inclinatus quiete, & tacite sedebat*. Ea *tamen paulo post excitata* Cyrum *more solito complexa est*. Qui *cum è cistella monile extractum ostendisset, illud, inquit, dignum esse, uel regia filia, uel matre*. Assentiente *ea*. Ecce, *inquit, tuum est*. Quare *illud collo mihi prius ostenso circumijce*. Aspasia *muneris pulchritudine parũ allecta, statim sapienter, eruditeq; respondit*. Quo *inquit, animo patiar circumponere mihi donum dignum* Parysatide *matre tua? Illud igitur ei mitte*. Ego *enim etiam absq; dono parata sum pulchrum collum ostendere*. Aspasia *magnifice, & præter mulierum consuetudinem (sunt enim ornamentorum studiosissimæ) se gessit*. Cyrus *responso gauisus* Aspasiam *osculatus est, & cum singula, quæ acta, & dicta fuerant, literis complexus esset, misit eas ad matrem unà cum monili*. Parysatis *non minus scriptis, quàm auro læta, remunerata est* Aspa=

siam magnis, & regijs donis. Illud enim ei præcipue gratum erat, quòd, quamuis Aspasia intelligeret se à Cyro maximi fieri, maximeq; diligi, facile tamen, & æquo animo matri cedebat. Commendauit Aspasia munus, dixitq; se non egere eo. Nam & magnam pecuniarum uim unà cũ donis acceperat, quas postea ad Cyrum remisit dicens: Tibi, qui multos homines alis, hæ erunt aliquando utiles. Cum enim tu mihi ornamento sis, satis multa me assecutam arbitrabor, si te, ut debeo, & opto, dilexero. Obstupuit uehementer his omnibus Cyrus. Meritò. Ea enim cum propter corporis pulchritudinem, tum propter animi nobilitatem omnibus admirationi erat. Occiso postea Cyro in prælio aduersus fratrem, inter cæteros captiuos (Cyri enim exercitus, & alia spolia in hostium manus peruenere) ipsa quoque connumerata fuit, non quidem temere, aut fortuitò capta. Sed Artaxerxes, cui iam pridem mulieris gloria, & uirtus nota erat, diligentius eam inquirendam curauit. Cum autem uincta adduceretur, indignatus Rex iußit eos, qui id fecissent, in uincula conijci, mandauitq;, ut ea splendidis, & magnificis uestibus ornaretur. Quod cum audisset, precibus, & lachrymis (Cyri enim casu grauißime affecta erat) non potuit à Rege impetrare, ne Regia ueste indueretur. Cum igitur induta, mulierum omnium pulcherrima apparuisset, repente accensus Artaxerxes illius amore contabuit. Quare cæteris eam fœminis anteponendam duxit, studebatq; in omnibus illi gratificari, ut hac ratione Cyri obliuiscere tur, & admirabiles amores sui excitaret, id quod se-

rò quidem assecutus est. Vehemens enim in Cyrum beneuolentia animo Aspasiæ infixa difficulter ablui, aut aboleri poterat.

De Teridate Eunucho.

Aliquot post diebus Teridates Eunuchus pulcherrimus omnium, qui erant in Asia, moritur, cum iam è pueris excessisset, & inter adolescentes connumeraretur. Rex (amabat enim eum ardentissime) grauissimo luctu, acerbissimoq; mœrore huius obitu affectus est, publicusq; per totam Asiam luctus in regis gratiam repente excitatus. Nemo autem erat, qui eum adire, aut consolari auderet. Arbitrabantur enim dolorem, quem ex eo casu perceperat, nulla arte, aut oratione leuari posse. Post triduum Aspasia sumpta lugubri ueste, cum Rex ad balneas proficisceretur, lachrymabatur demissis in terram oculis. Id cum Rex uidisset, obstupuit, causamq; aduentus interrogauit. Tunc illa, uenio, inquit, leuatura mœrorem, & luctum, si per te liceat. Quòd si moleste tuleris, discedam. Lætatus est Persa studio hoc, iussitq;, ut in thalamum reuersa illic operiretur, id, quod etiam fecit. Introgressus postea ille Eunuchi uestem supra nigrã circumposuit Aspasiæ, quæ & in uestibus illis adolescentis præclare elucebat, & formosior ipsi amatori uidebatur. Vbi semel his captus est Rex, rogauit eam, donec uis doloris remisisset, eo cultu ornatam ad se accedere, in quo etiam gratificata est. Atque ita sola, non dico ex ijs fœminis, quæ erant in Asia, sed ex regijs liberis, & propinquis Artaxerxem consolata fertur,

cum Rex ipse promptitudini, & studio illi libenter inseruiret, & consolatione prudenter moueretur.

De Musis.

Nemo figulus, aut pictor armatas nobis Iouis filias expressit; oportet enim in musis nescio quid pacificum, & mite apparere.

De Epaminonda, Daiphanto, & Iolaida.

Cum Epaminondas apud Mantineam lætale uulnus accepisset, in tabernaculum delatus adhuc uiuus Daiphantum uocabat, ut ipsum imperatorem constitueret. Cum autem responsum fuisset eum occubuisse, iußit confestim acciri Iolaidam Cum & hunc interijsse audisset, consuluit suis, ut cum hostibus in gratiam redirent tanquàm nullo amplius Duce Thebis relicto.

De Sesostride.

Ferunt Aegyptij Sesostrin à Mercurio excultum, & eruditum fuisse.

De Laide.

Lais meretrix, ut scribit Aristophanes Byzantius uocabatur Axine, hoc est securis. Quo cognomine morum illius feritas redarguebatur.

De parentibus Marij, & Catonis.

Ridendi sunt ij, qui parentum nobilitate nimis efferuntur, siquidem apud Romanos Marij patrem non nouimus, illum autem propter præclara, & eximia facinora admiramur. Catonis quoque senioris patrem alij inquirant.

De Alexandro, & Hephæstione.

Alexander Achillis tumulum coronauit, Hephæstion Patrocli, latenter innuens se amari ab Alexandro, quem-

admodum Patroclus ab Achille.

Deinsidijs Cleomenis aduersus Archonidem.

Cum Cleomenes Lacon ex omnibus necessarijs conscium actionum suarum sibi elegisset Archonidem, iurauit se, si unquam imperium occupasset, omnia cum illius capite communicaturum. Potitus igitur regno, & occiso socio cum caput eius purgasset, & melle conditum uase seruaret, quæcunque acturus erat, apud illum exponebat, dicens se minime peierare, omnia enim cum Archonidæ capite decernere.

Quomodo Timesias sponte patria discesserit.

Timesias Clazomenius cum cæteris probitate præstaret, Clazomeniorum urbem egregie quoque administrabat. Eadem tamen inuidia, quæ eiusmodi uiris plerunque obfuit, huic quoque detrimento fuit. Quam tamen primum minimi faciebat. Sed cum aliquando per ludum literarium transiret, & forte pueri à magistro dimissi colluderent, orta contentione inter duos de linea, alter iurauit. Ita mihi detur Timesiæ cerebrum collidere. Hoc audito, ratus Timesias acerrimam in se inuidiam, & ciuile odium concitatum, quando à pueris ipsis, nedum à uiris odio haberetur, sponte patria excessit.

Primi Aeginetæ Numisma excuderunt.

Aeginetæ olim potentissimi inter Græcos extitere, temporum felicitate, & secunda occasione adiuti. Nam re nauali plurimum polluere, & aduersus Persas præclare se gesserunt. Quam ob causam & maximis præmijs digni habiti sunt, & primi numisma excuderunt, quod Aeginæum numisma uocatum fuit.

De pallantio colle, templo, & ara febris. 1

Romani sub pallantio colle templum, & aram febri erexerunt.

De adultero in Creta capto.

Captus Gortinæ, quæ Ciuitas est Cretæ, adulter ad magistratus adductus est, ibiq́; conuictus criminis, lana coronabatur. qua corona hominis imbecillitas, mollities, & mulierositas declarabatur, publiceq́; sub hasta stateribus quinquaginta uendebatur, & ignominia notatus à publicis negocijs disiunctus erat.

Quomodo Gnathæna meretrix loquacitatem cuiusdam represserit.

Quidam ex hellesponto profectus est ad Gnathænam meretricem Atticam eius nomine, & pulchritudine allectus. Cumq́; inter conuiuium adeo loquax esset, ut molestiam afferret, tunc Gnathæna. Nonne, inquit, dicis te ex Hellesponto uenire? Assentiente hoc, Rursus. Cur, inquit, non nosti primam ex ijs urbibus, quæ illic sunt? Dicenti, & quæ est? respondit Sigæum; quo nomine festiue silentio utendum monuit.

De aliquibus corpore speciosis.

Inter omnes Græcos maxime amabilem, & formosum dicunt fuisse Alcibiadem, Inter Romanos Scipionem, & Demetrium Poliorcetem; Alexandrum etiam philippi filium nullo adhibito studio elegantia formæ excelluisse memorant. Flauos enim crines passos, & extensos fuisse, & nescio quid formidabile exspecie apparuisse. Homerus formosos comparat arboribus, cum inquit.

Hic creuit & arboris instar.

De aliquibus præstantissimis uiris, qui puerulis oblectati sunt.

Herculem ferũt post certamina, & labores puerilibus ludis se recreasse. Ludebat enim cum puerulis Iouis, & Alcmenæ filius, quod & apud Euripidem Deus ipse significat, cum ait.

Ludo uicißitudines laborum amans.

Dicit autem hoc puerum complectens. Socrates quoque aliquando deprehensus est ab Alcibiade ludere cum Lamprocle adhuc infante.

Agesilaus in arundine equitabat cum filio puero, & ad ridentem conuersus. Nunc, inquit, tace, cum uero & ipse fueris pater, tũc huiuscemodi uerbis apud patres uteris. Archytas Tarentinus & philosophiæ, & administrationi Reipub. deditus, cum multos haberet seruos, ludebat cum eorum liberis, quibus inter conuiuia præcipue oblectabatur.

Quos Alexander ob uirtutem odio habuerit.

Alexander Perdiccam oderat, quòd bellicosus esset. Lysimachum, quòd bonus imperator. Seleucum, quòd strenuus. Eundem Antigoni ambitio offendebat, Attali imperiositas, & Ptolemæi dexteritas ingenij.

De Demetrio proficiscente ad meretricem.

Demetrius quamuis tot nationibus imperaret, adibat tamen Lamiam meretricem cum armis, & diademate. Cum enim turpißimum putaret accersere fœminam, benigne illam conueniebat. Ego uero maiori laude dignum censeo Theodorum tibicinem, quàm Demetrium; Theodorus enim à Lamia uocatus recusauit eò proficisci.

Quòd Phaon formosus fuerit.

Hominum pulcherrimum fuisse prædicant Phaona, quem uenus inter lactucas occultauit. Alij uero dicunt fuisse portitorem, Veneremq; cupientem traijcere, quam tamē non norat, amicißime naui excepisse, & eò uexisse, quò ea uoluerat, propterea illi datum esse à Dea Alabastrum unguenti plenum, quo cum se obliuisset, factum esse hominum pulcherrimum, & à Mitylenæorum mulieribus adamatum, postremoq; in adulterio deprehensum iugulatum fuisse.

De Sappho.

Sappho poetriam Scamandronymi filiam Plato Aristonis filius sapientem uocat. audio autem aliam fuisse Sappho in Lesbo meretricem, non poetriam.

De Luscinia, & Hirundine.

Hesiodus scribit Lusciniam solam ex auibus somnum non curare, sed aßidue in uigilijs degere, hirundinem uero non omnino uigilare, sed tantummodo dimidium temporis spatium. Hoc autem eas pati ferunt post facinus illud in Thracia inter cœnam impie commissum.

De Laconicis mulieribus.

Laconicæ mulieres audito liberorum suorum inter prælium interitu aduersa, & auersa uulnera inspiciebant. Quòd si aduersa plura animaduertissent, grauiter, & torue aspicientes paternis sepulchris condebant. Si uero aliter offendissent, tunc pudore, & lachrymis suffusæ, quàm celerrime poterant, clàm inde discedebant, liberosq; in communi sepulchro, quod Polyandrium dicebatur, humandos relinquebant, aut clàm

domesticis sepulchris contegebant.

De fortitudine Titormi, Milonis, & de prouerbio quodam.

Milonem Crotoniatam ferunt corporis robore elatum incidisse in Titormum bubulcum. Quem procero corpore intuitus Milo, cupiebat illius uires experiri. Titormus autem dicebat, se nullo robore, aut uiribus præstare. Cum tamen in Euenum descendisset, pallio exutus maximum rapit lapidem, quem primum ad se protrahit, inde propellit, bisq́;, & ter idem fecit, postea usque ad genua erexit, tandem in humeros erectum usq; ad orgyas octo tulit & abiecit. Hunc lapidem Milo Crotoniata uix poterat uoluere. Aliud quoque roboris sui signum dedit Titormus. Profectus enim ad armentum, & in medio consistens, maximum taurum agrestem pede prehendit, atque aufugere uolentem remoratus est, eademq́; hora & alium prætereuntem altera manu corripuit, constantissimeq́; retinuit. Id cum uidisset Milo, manibus in cælum sublatis, ô, Iuppiter, inquit. Num hunc nobis alterum herculem genuisti? Hinc ferunt natum prouerbium. Hic alter Hercules.

De audacia Celtarum.

Audio Celtas in periculis omnium audacissimos esse, adeo ut cantilenarum suarum argumenta sumant ex ijs, qui præclare in bello occubuerunt, coronati pugnant, trophæa erigunt, simulq́; rebus optime gestis glorientur, & Græcorum more suæ uirtutis monimenta relinquūt. Turpe, & ignominiosum existimant fugere, atq; ita, ut neque ex tectis ruentibus, etiam si liceat, egrediantur, neque ex eorundem incendio aufugiant. Multi mariti-

mam alluuiem tolerant. Aliqui etiam armati se ipsos in mare inijciunt, undarumq; impetus sustinentes nudos enses, & hastas uibrant, quasi mare ipsum poßint uel terrere, uel uulnerare.

Dedelicatione uita, & edacitate Smindyridæ.

Smindyridem Sybaritam ferunt ad id luxus progressum fuisse, ut procus Agaristæ filiæ Clisthenis Sicyonem profectus adduxerit secum mille coquos, totidem aucupes, & mille piscatores.

Quibus præstantißimis uiris multi utiles fuerint.

Alcinus utilis fuit Vlyßi, Chiron Achilli, Achilles Patroclo, Nestor Agamemnoni, Menelaus Telemacho, Polydamas hectori, Antenor Troianis, quandiu eius sententiæ assensere. Pythagorici discipuli ex Pythagoræ sermonibus, & doctrina, Democritei ex Democriti uirtute plurimum fructus percepere. Socrati si paruissent Athenienses, & philosophiæ se dedissent, beatißimi fuissent. Hieroni Dinomenis filio Simonides Ceus, Anacreon Polycrati, Proxenus Xenophonti, & Zeno Antigono non minimum profuere. Et ut eorum quoque, qui mihi nihilominus quàm Græci coniuncti sunt, mentionem faciam (hoc enim ad me, qui Romanus sum, spectare uidetur) legimus Lucullum usum esse Antiocho Ascalonita, Mecænatem Ario, Ciceronē Apollonio, & Augustum Athenodoro. Plato uir quidem me sapientior scribit ipsum quoque Iouem consiliarij opera indiguisse, cuius, & quomodo, ab ipso audiamus:

De Aliquibus uinolentis.

Bibacißimi dicuntur fuisse Xenagoras Rhodius, quē Amphoram uocabant, & Heraclides pugil, & Proteas Lanicæ filius unà cum Alexandro Rege educatus. Ipse quoq; Alexander plurimum omnium bibisse fertur.

Quòd Hercules clemens fuerit erga hostes.

Mitißime se geßisse ferunt in hostes Herculem. primū enim ex hominibus mortuorum cadauera facto fœdere suis sepelienda reddidisse, cum occisos consueuissent inhumatos negligere, ut canibus cibi loco essent, quod etiam Homerus dixit.

Corpora quin etiam canibus Lanianda parauit. & alio in loco.

Canibus ludibria adesse.

De Leocorio Atheniensium.

Leocorium Athenis uocabatur delubrum filiarum lei, Praxitheæ, Theopæ, & Eubulæ, quas fama est pro ciuitatis salute occisas esse, permittente patre Delphico oraculo. Dicebat enim non posse urbem seruari, nisi illæ iugularentur.

Quid dixerit Plato de Agrigentinorum luxu.

Cum plato Aristonis filius uidisset Agrigentinos magnifice ædificare, & eodem modo conuiuari. Aedificant, inquit, Agrigentini tanquàm semper uicturi, conuiuantur, tanquàm semper morituri. Timæus quoque scribit eosdem argenteis Lecythis, & strigilibus usos esse, lecticasq; totas ex ebore habuisse.

De Tarentinis uinolentis, & Cyrenæorum luxu.

Tarentini consueuerant summo mane bibere, postea frequenti

quenti foro ebrij huc, & illuc uagari. Cyrenæi ad id luxus progreßi sunt, ut, cum Platonem accersiuissent, ut apud se leges institueret, hunc ferunt recusasse propter iam inueteratam illorum ignauiam. Cui rei & assentitur Eupolis in Marica; Qui uero ex ipsis maxime frugalis, & egentißimus erat, baltheis utebatur decem minarum precij. Artificum quoq; operam in sculpendis annulis licebat cum admiratione intueri.

De uarijs Græcorum uinis.

Iam uero exponamus nomina aliquorum uinorum, quæ à ueteribus Græcis maxime celebrãtur, Et primum Pramneum quoddam uocabant, quod Cereri sacrum erat; Deinde Chium ab insula, Thasium, Lesbium, & quod Dulce à re ipsa nominabant; Præterea Creticum, & Syracusis Polium à quodam indigena Rege ita dictum. Vtebantur etiam uino Coo, & Rhodio, eodem modo ab insulis nominantes.

Illa quoque luxus sunt indicia, quod Græci unguento uinum miscentes ita bibebant, cogebantq; hæc duo inter se diuersa simul misceri; atque hoc uinum Myrrhinitem appellabant. Cuius & Philippides Comœdiarũ scriptor mentionem facit.

De Pythagoræ, Empedoclis, Hippiæ, & Gorgiæ uestibus, & calciamentis.

Pythagoras Samius candida ueste induebatur, coronam auream gestabat, & calciamentum illud; quod Anaxyridas uocant, Empedocles Agrigentinus purpurea ueste, & calceis æreis usus est. Hippiam, & Gorgiam eodem uestis genere indutos fuisse aiunt.

Romani insidias medici Pyrrhi, contra ipsum Regem non admiserunt.

Cineas Pyrrhi medicus arcanis quibusdam notis conscriptas litteras ad Senatum misit, quibus dato sibi praemio pollicebatur Pyrrhum se Regem ueneno necaturũ. Romani, quorum proprium fuit non dolis, non arte, non insidijs, sed aperta uirtute hostem debellare, non solum proditionem non admiserunt, sed etiam Pyrrho Cineae consilium aperuerunt.

De amoribus Pausaniae, & Apellis.

Priscorum hominum amores complures enumerãtur, praecipue uero hi. Pausanias uxorem suam mirifice amabat, Apelles Alexandri concubinã, cui Pancaste nomen erat, patria uero Larissa. Cum qua primum Alexander rem dicitur habuisse.

De Periandris, Miltiadis, Sibyllis, & Bacidibus.

Duo extitere Periandri, alter Philosophus, Tyrannus alter. Miltiadae tres, unus, qui Cherronesum condidit, alter Cypselli filius, Tertius Cimonis. Sibyllae quatuor, Erithraea, Samia, Aegyptia, Sardiana, His alij sex addidere, ut decem numero essent, quarum una erat Cumana, & Iudaea. Bacides tres, unus Graecus, alter Atheniensis, tertius Arcas.

De numero filiorum Niobes.

Dissentiunt inter se ueteres scriptores de numero filiorum Niobes. Homerus enim sex enumerat, & totidem filias. Lasus bis septem; Hesiodus decẽ, & nouem, nisi non sunt Hesiodi illa carmina, quemadmodum & pleraque alia falsò ipsi attribuuntur. Alcman decem statuit; Mimermnus, & Pindarus uiginti.

De Alexandro rei frumentariæ inopia laborante, & quomodo aliqui uici propter fumum capti sint.

Quo tempore Alexander Bessum insequebatur, annonæ penuria male affectus ipse, & qui unà erant, Camelis, cæterisq; iumentis non pepercere. Et cum eosdem ligna deficerent, crudis carnibus uescebantur, Adiumento tamen fuit ipsis ad has coquendas maxima Laserpitij copia;

In Bactrianorum regione milites uicos ipsos cœperunt, quos ex fumo senserunt habitari, niue prius à foribus ablata.

De Sacarum equis, & quibusdam illorum moribus.

Siquis Sacarum equus dominum deiecerit, statim consistit, ut is rursus posit inscendere. Siquis puellam in uxorem ducturus est, singulare cum ea certamen suscipiat, est necesse. Victrix captiuum abducit, & imperat. Victa paret. Non enim *usque ad mortem dimicant, sed usq; ad uictoriam. Suos lugentes Sacæ in subterraneas, umbrosasq; domos se occultant.*

De audacia Perdiccæ, & Leæna.

Perdiccas Macedo, qui cum Alexandro militauit, adeo audacia excelluit, ut ausus fuerit aliquando solus in speluncam descendere, ubi Leæna degere consueuerat, indeq; Catulos non inuenta matre abripere. Quæ res maximæ fuit omnibus admirationi. Non enim *solum Græci, sed etiam barbari existimarunt Leænam feram esse fortißimam, & ferè insuperabilem. Ferunt & Assyriam Semiramim gloriari solitam, non si leonem*

comprǽhendiſſet, aut Pardum, aut aliam eiuſmodi feram occidiſſet, ſed ubi leæna ſuperior extitiſſet.

De uiaticis, quæ ſequebantur Xerxem.

Alia quidem uiatica ſequebantur Xerxem magnificentiæ, & ſuperbiæ plena, præcipue uero aqua ex Choaſpe. Cum uero aliquando ad deſertum quendam locum ueniſſent, omneſq; moleſtiſſima ſiti miſerrime angerentur, præconis uoce exercitui denuntiatum eſt, ut, ſicui eſſet aqua ex Choaſpe, is ad Regem afferret. Cum hanc inuentam modicam tamen, & putridam Xerxes bibiſſet, eius, qui dederat, liberalitatem complexus eſt, præclareq; de ſe meritum exiſtimauit. Siti enim interijſſet, niſi aqua illa præſtò fuiſſet.

De Protogene pictore.

Protogenes pictor ſeptem integros annos (ut aiunt) in pingendo Ialyſum conſumpſit. Quem cum Apelles uidiſſet, primum quidem ſtupore perculſus obmutuit. Deinde reſpiciens dixit. Labor quidem, & artifex magnus eſt; Artificium tamen uenuſtatem ſuperat. Quam rem ſi uir aſſecutus eſſet, eius labor cælum ipſum attingeret.

De aliquibus educatis, à, feris.

Cyrum Mandalæ filium canis educauit, Telephum Agaues, & Herculis filium cerua. Peliam Neptuni, & Tyrus filium equa. Alexandrum Alopes, & Priami filium ab urſa nutritum ferunt, Aegiſthum Thyeſtis, & Pelopiæ filium à capra.

De ijs, qui humili loco nati clari euaſere.

Darium Hyſtaſpis filium audio Cyri pharetrã geſtare ſolitum. Poſterior uero Darius, quem Alexander debel=

lauit, seruæ filius fuit. Archelaus Macedonum Rex natus est Simiche & ipsa serua. Menelaus Philippi auus spurius erat. Amyntas huius filius minister Aeropæ, & seruus creditus est. Perseus, quem Paulus Romanus uicit, genere Argiuus erat, & patre ignobili; Eumenes inopem habuit parentem, & sepulchralem tibicinem. Antigonus Philippi filius altero oculo priuatus, & ob id Cyclops cognominatus, Polysperchi minister erat, & latrocinia exercebat. Themistocles, qui Barbaros nauali prælio debellauit, & solus diuinas oraculorum uoces intellexit; Abrotono Threissa natus est. Phocionis boni cognomento pater cochlearia operabatur. Demetrium phalereum uernam fuisse dicunt, & seruum Timothei, & Cononis. Hyperboli, Cleophontis, & Demadis, quamuis in Atheniensium urbe floruerint, patres ignorantur. Callicratidas, Gylippus, & Lysander apud Lacedæmonas Mothaces uocabantur, hoc autem nomen erat eorum, quos opulenti, & nobiles patres ad gymnasia unà cum liberis certaturos mittebāt. Lycurgus enim qui hoc concessit, uoluit eos, qui in huiuscemodi liberorum disciplina permansissent, Laonicæ administrationis participes esse. Epaminondas etiam patre erat ignobili, Cleon Sicyoniorum Tyrannus Pyraticam prius exercuerat.

De his, qui diutius in latumiis Siciliæ uixerunt.

Latumiæ Siculæ erant iuxta Epipolas stadij longitudine, latitudine uero duorum iugerum. Ibi nonnulli diutius commorati sunt, atque ita, ut in eo loco uxores duxerint, & liberos procrearint. Aliqui autem ex ijs filijs, cum

nunquàm urbem adijſſent, ut primum Syracuſas ſe contulerũt, iunctosq́; currui equos inſpexere, cum clamore, ac trepidatione multa aufugerunt. Pulcherrima uero earum, quæ illic ſunt, ſpeluncarum, Philoxeni poetæ cognomento appellabatur, in qua, ut ferunt, commorans Cyclopem conſcripſit ſuorum poematum præſtantiſſimum, minimi faciens uindictam ſibi à Dionyſio illatam, immo in ipſa calamitate Philoxenus muſicæ & literarum ſtudijs operam dabat.

De Mida, Platone, & Pindaro infantibus.

Phrygij memorant in Midæ Phrygis adhuc infantis os, dũ dormiret, formicas irrepſiſſe, laborioſeq́; admodum, & diligenter tritici grana importaſſe. Apes fauos Platonis ori inſtillarunt. Pindarum extra paternam domum expoſitum apes educarunt, mel pro lacte apponentes.

De ſigno prædicente Dionyſio Monarchiam.

Dionyſium Hermocratis filium aiũt in traiectu fluuij equo exiluiſſe (nam is cœnoſo in loco lapſus erat) & ripam apprehendiſſe, indeq́; relicto equo, tanquàm non amplius ſuo, cœpiſſe diſcedere, Cum autem hinniens equus ſequeretur, conuerſum iubam apprehendiſſe, ut inſcenderet, eodemq́; tempore apum examen circa manum uolans repente apparuiſſe. Conſultosq́; de his Galeotas reſpondiſſe id eſſe ſignum futuræ Monarchiæ.

De Ariſtomache Dionis uxore.

Dionyſius eiecto è Sicilia Dione, eius filium, & uxorem Ariſtomachen diligentiſſime cuſtodiebat, quam inuitam poſtea in uxorem tradidit Polycrati Syracuſano ſatel-

liti suo, quem inter præcipuos habebat ministros. Dionem autem receptis postea Syracusis, post Dionysij fugam ad Locros Arete ipsius soror salutauit. Aristomache uero præ pudore uelata sequebatur, neque audebat tanquàm maritum salutare. Norat enim se coniugij iura uiolasse. Vbi uero ex Arete audiuit Dion à Dionysio coactam fuisse, statim uxorem, & filium in domum admisit.

De Homeri poematibus.

Non Indi solum in maternam linguam conuersa Homeri poemata concinunt, sed etiam Persarũ reges, si modo historiographis, qui hæc tradunt, fides adhibenda.

Quòd Phocion iniuriarum oblitus fuerit.

Phocion Phoci filius sæpe imperatoria dignitate perfunctus, morte mulctatus est, eratq; in carcere uenenum hausturus: Cum uero iam lictor poculum obtulisset, interrogarunt propinqui, ac familiares, quid nam filio mandaret. Tunc ille, Mando, inquit, hoc ei, ut obliuiscatur potus huius, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo. Cui uero non uidetur extollendus phocion, eum ego à magnarum, & præclararum rerum meditatione alienum puto.

De Lacedæmoniis alienis à literarum disciplina.

Lacedæmonij literarum prorsus ignari erant; gymnasiorum tantum, & armorum studiosi. Quòd siquando uel propter morbum, uel desipientiam, uel aliam huiusce modi publicam calamitatem Musarum opera eguissent uel Pythico oraculo moniti, accersebant peregrinos homines, tanquam medicos. Accersiuerunt autem Terpandrum, Thaleta, Tyrtæum, Cedoniatem Nymphæum, &

Alcmana tibicinem. Thucydides quoq; fatetur disciplinis fuisse Lacedæmonios parum deditos, inter quos enumerat Brasidam, eumq; scribit dicendo ineptum fuisse, tanquam Lacedæmonium, hoc est rudem.

De superbia Menecratis, & quomodo Philippus ipsum deriserit.

Menecrates Medicus ad id superbiæ prouectus est, ut seipsum Iouem nominaret. Misit hic aliquando epistolam ad Philippum Macedonum Regem hoc exemplo. Menecrates Iuppiter Philippo salutem plurimam dicit. Cui Philippus rescripsit. Philippus Menecrati ualetudinem. Suadeo tibi proficiscendum ad Anticyræ loca. Hac itaq; ratione hominis desipientiam arguebat.

Illum aliquando Philippus ad lautum, & magnificum conuiuium inuitauit, iussitq; seorsum mensam ei apponi, parariq; acerram, & thure ipsum tanquam Deum, neq; cibo indigentem suffiri. Reliqui interim epulabantur. Menecrates primum honore illo mirifice lætabatur, postea ubi cœpit esurire, & conuincebatur esse homo, & fatuus, statim inde abijt, dicens se iniuria affectum esse, propterea quòd scite, prudenterq; Philippus illius insipientiam prodiderat.

Quibus Isocrates dixerit Athenas esse similes.

Isocrates Rhetor dicebat nihil interesse inter Athenas, & meretrices. Etenim eos, qui illarum pulchritudine sunt allecti, optare cum ipsis rem habere, neminem

tamen adeo imprudentem esse, ut cum iis diutius sibi commorandum putet. Eadem ratione Athenienſium ciuitatem peregrinis iucundiſsimam, atq; hac in re cæteras græciæ urbes ſuperare, incolis autẽ minime utilem. Quibus uerbis habitatores Sycophantas eſſe oſtendebat, & inſidioſas populariũ adminiſtrationes arguebat.

De initijs maximorum bellorum.

Non ignoro ex uilibus, & propè contemnendis cauſis maxima, & periculoſa bella initium habuiſſe. Perſicum enim ex diſsidio Mæandrij Samij cum Athenienſibus ortum ferunt. Peloponneſium propter Megarenſium tabellam. Illud, quod ſacrum dictum fuit ab exactione iuris Amphictyonici, cum Athenienſes apud Chæroneã decertaſſent, uetantes Philippum illius participem eſſe.

Qua ratione Ariſtoteles iratum Alexandrum tentarit placare.

Cum uellet Ariſtoteles iratum Alexandrum placare ſæpe excandeſcentem, in epiſtola quadam ita ſcripſit. Furor, & ira non eſt in pares, ſed in potentiores, tibi uero par nemo.

Idem Ariſtoteles ex ijs, quæ egregie, prudenterq; Alexandrum docuit, multa quidem, & maxima commoda multis peperit, & patriam iam, à, Philippo dirutam ſubleuauit.

De ijs, qui in Libya uel ab elephantibus occiduntur, uel in uenationibus, uel in prælijs intereunt.

Libes occiſos ab elephantibus uel in uenationibus, uel in prælijs magnifice ſepeliunt, hymnoſq; concinunt. quo-

rum hoc est argumentum. Strenuos esse dicunt eos uiros, qui tantæ feræ restitere, adduntq; gloriosam mortem gloriosum esse sepulchrum.

Quid dixerit Diogenes de Megarensibus.

Diogenes Sinopensis multis modis ruditatem, & imperitiam Megarensium carpens dicebat se malle esse arietem Megarensis uiri, quàm filium. Pecudum enim Megarenses curam habere, filiorum minime.

De prodigijs, quæ præuiderunt Thebani ducente Alexandro copias aduersus ipsos.

Cum Alexander Philippi filius exercitum aduersus Thebanos duceret, Dij signis, & prodigijs eorum interitum impendere prædixerunt. Illi uero, q; arbitrabantur Alexandrum apud Illyrios interijsse, maledictis eũ multis incesserunt. Pa'us Onchesti formidabilem, & continuũ sonitũ edidit, & irruenti similis audiebatur. Fons, qui Ismenum, et mœnia ipsa præterfluit, cui Dirce est nomen, repente, & præter spem sanguine repletus est, cùm prius pura, & iucunda aqua uberrime abundasset. Arbitrabantur autem Thebani numina graue aliquid Macedonibus minari.

In Cereris templo, quod est in urbe, Aranea solitam texuit telam ante simulachri faciem. Mineruæ etiam simulachrum, quæ Alcomeneis dicebatur, sponte sua combustum est, & alia eiusmodi complura.

De Dioxippo.

Dioxippus Athleta Olympionices Atheniensis Athenas eques ingrediebatur athletarum lege; ad quem spectan

dum cum undiq; multitudo conueniret, & alius aliunde spectandi cupiditate accensus penderet, inter cæteros mulier forma excellens accurrisse dicitur. Quam intuitus Dioxippus statim pulchritudine allectus immotis eam luminibus intuebatur, uultu in uarios colores sæpißime mutato. Cognouerunt multi non sine causa aspici à Dioxippo fœminam, ipse uero præcipue perturbationem suam animaduertit. Tunc Diogenes sinopensis cum forte aureum speculum Corinthiaca opera elaboratum uenale exposuisset. Videte, inquit, conuersus ad eos, qui propè astabant, athletam uestrum egregium ab adolescentula præcipitatum.

De ueritate, & beneficentia.

Dicebat Pythagoras duo hæc præclara data esse hominibus à Dijs immortalibus, uera dicere, & beneficia conferre, addebatq; utrunque Diuinis factis inesse.

De Dionysio, & Philippo.

Cum Dionysius secundus, & Philippus Amyntæ filius de multis inter se colloquerentur, præter cætera interrogasse fertur Dionysium Philippus, cur Imperium à patre relictum non conseruasset. Tunc non inepte Dionysius, alia mihi, inquit, multa reliquit pater, fortunam uero, qua hæc acquisiuit, & conseruauit, minime.

De honore exhibito Boreæ uento.

Nauigabat Dionysius trecentis nauibus armatorum plenis aduersus Thurios. Has cum forte aduersus, & uiolentus Boreæ flatus contriuisset, omnesq; nauales copias funditus deleuisset, Thurij sacris, ciuitate, domo, & redditu, quem singulo quoq; anno persoluebant, boream honestarunt. Non igitur Athenienses solum ipsum tutelarem

Deum arbitrabantur, sed etiam Thurij de se benemeritum scripsere. Pausanias refert idem à Megalopolitanis factum.

Lex Persica de consiliarijs regis.

Lex erat hæc apud Persas. Is, qui Regi de arcanis, ac dubijs rebus consilium daturus erat, stabat super aureo latere. Quòd si rectè, & opportune uisus esset consulere, latere, mercedis loco accæpto, inde abibat. Cædebatur tamē, quòd Regi contradixisset. Indignum est autem mea sententia liberum uirum mercede, & iniuria afficere, & præmium malo compensari.

De Archedicæ Amore.

Archedices meretricem amabat Naucraticam superbam quidem, et arrogantem. Quæ accepta ea pecunia, quam poscebat (poscebat enim nimiam) paulūlum uersabatur cum eo, qui dederat; Deinde aufugiebat. Eius amore accensus adolescens cum sibi illius potiundæ facultatem ob inopiam rei familiaris interclusam intelligeret, in somnis cum ea rem habuit. Atq; ita cupiditatis illius flammæ extinctæ sunt.

De Alexandro mortuo.

Alexander Philippi, & Olympiadis filius, qui se Ioue natum prædicarat, Babylone mortuus iacebat, eoq; sepulchri honore, cuius etiam pauperes, & egeni participes esse solēt, defraudatus. Quis enim nescit illud nobis præter cætera naturā elargitam esse, ut mortui terra contegamur? id autem accidebat, dum eius præsides de regno dissiderent. Alexander igitur triginta dies inhumatus relictus est; donec Aristander Telmissensis diuino quodam numine afflatus, uel ab alia quadam causa im-

pulsus progressus est in medios Macedonas, dixitq;. Alexandrum & uiuum, & mortuum omnium seculorum regem fuisse felicißimum, Deosq; immortales sibi significasse, eum locum, qui illius corpus, quo primum anima inclusa fuit, excipiet, felicem fore, & nunquam expugnabilem. His auditis repente pro se quisque summa contentione annitebantur, ut in suum regnum transferrēt, ut thesaurus esset, & ueluti obses imperij firmi, et tuti. Ptolemæus tamen, si credibile est, inuolutum corpus studiose in Alexandri urbem, quæ est in Aegypto, deferebat, cæteris Macedonibus quiescentibus. Tunc Perdiccas aggressus est illum insequi, motus non tàm beneuolentia in Alexandrum, & pietate in mortuum, quàm accensus ijs, quæ Aristander prædixerat. Postquam igitur Perdiccas Ptolemæū assecutus est, orta est inter eos accerrima pugna pro cadauere non dißimilis illi, quæ Troiæ prò simulachro excitata fuit, cuius mentionem facit Homerus, cum ait Apollinem Aeneæ causa in Heroas impetum fecisse. Perdiccam tamen sustinuit Ptolemæus. Cum enim simulachrum Alexandro simile fecisset, illud ueste regia, & lugubri habitu honorifice decorauit. Cumq; postea in Persicum currum imposuisset, & Pheretrum magnifice argento, auro, et ebore ornasset, uerum Alexandri cadauer simpliciter, & negligenter compositum per occultas, insolitasq; uias præmisit. Perdiccas nactus cadaueris simulachrum, & instructum currum, ratus se præmio potitum, cursum cohibuit. Serò autem animaduertit se deceptum, quando nulla amplius insequendi facultas apparebat.

AELIANI DE VARIA HISTORIA.

LIBER TERTIVSDECIMVS.

De Atalanta.



RCADES de Atalanta *Iasij filia hæc memorant. Eam pater, ubi primum in lucem edita fuit, exposuit, dicens se non fœminis, sed maribus indigere. Ille uero, cui mandatum id fuerat, profectus ad Parthenium montem, posuit eam prope fontem, ubi concaua erat petra, cui umbrosum quercetum adiacebat.* Mors *quidem eo tempore infanti impendebat, nisi fortunæ benignitas aliter statuisset.* Paulo *enim post ursa catulis suis à uenatoribus priuata, mammasq; præ nimia lactis copia extensas gerens, tanquam diuinitus immissa gauisa est infante, cumq; illi lac præbuisset, ipsa dolore leuata est, & infantem nutriuit. Atq; id iterum, atq; iterum fecit.* Et *quoniam non licuerat catulorum suorum mater esse, alieni partus nutrix facta est.* Hanc *uenatores, & ij, qui à principio catulis insidiati fuerant, diligentius obseruabant, & cum singula querceti loca explorassent, ab ursa more suo ad uenationem, & pabulum digressa Atalantam (quo tamen nomine nondum appellabatur, ipsi enim postea ita uocarunt) subtra=*

xerunt, eamq; syluestribus cibis alebant. Paulatim autem unà cum ætate & corpus creuit, uirginitate lætabatur, hominum consuetudines fugiebat, & in altissimorum Arcadiæ montium solitudine uersabatur, ubi irrigua erat planities, ingentes quercus, uentorum flatus, & obscura sylua. Nam cur nobis molestum esse debeat de Atalantæ spelunca audire, quemadmodum apud Homerum de Calypsus, nescio. Erat igitur in concaua ualle spelunca una, ualde profunda, cuius frons rupe ingenti munita erat. Hæderæ circum repebant, & teneris arboribus implicabantur, perq; eas ascendebant. Croci circa locum erant in molli, & profunda sylua nascentes, consurgebat Hyacinthus, & alij complures flores, non solum aspectui gratissimi, sed etiam odore suauissimo uicinum aerem replentes. Licebatq; illic & ludos celebrare, & propter fragrantiam conuiuijs indulgere. Aderant & lauri multæ frondibus semper uirentibus, & uisui iucundissimis. Vites quoq; plures compositæ erant racemis ante speluncam florentibus, ex quibus Atalantæ studium dignoscebatur. Aquæ perennes, pellucidæ, & frigidæ, quod uel tangendo, uel gustando manifeste deprehendi poterat, copiose fluebant, quæ & prædictas arbores assidue irrigabant, & ad uitalem ipsarum sensum plurimum faciebant. Locus igitur gratijs refertus, maximeq; uenerabilis, commorationis alicuius uirginibus aptæ speciem præseferebat. Atalantæ lecti erant captarum in uenationibus ferarum pelles, cibus earundem carnes, potus aqua, uestis incomposita, & quali Dianam uti legimus.

Quam dicebat se imitari hac in re, præcipue uero in uoluntario uirginitatis desiderio. Excellebat *eadem pedum celeritate, atque ita, ut neque fera ab ea posset aufugere, neq; insidiantes homines, si se in fugam dedisset, assequi.* Amabant *ipsam non ij tantum, qui uiderant, sed etiam ij, ad quos nomen peruenerat.* Age *uero iam eius speciem, nisi molestum est, describamus.* Arbitror *autem non fore molestum, siquidem ex his ad orationes peritia, & ars adiūgi solet.* Hæc *adhuc puella corporis magnitudine adultas fœminas superabat, pulchritudine uero uirgines omnes, quæ ea tempestate in* Peloponneso *florebāt.* Virili, *& truci erat aspectu; tanquam à fera educata, siquidem ferox erat.* Præterea *ex syluestribus illis exercitationibus illud assecuta erat, ut nihil uirgineum, nihil mite præseferret.* Non *enim in thalamo, non à matre, non à nutricibus educata fuerat.* Quin *etiam neq; in corpore nimia pinguedo redundabat, cum uenationibus, & huiuscemodi studijs assidue totū corpus moderaretur.* Coma *erat flaua, nulla muliebri opera, nullis tinctionibus, aut unguentis adhibitis, colorem natura, non ars largita erat, facies tanquam à solaribus radijs colorata ex aduerso ruborem quendam emittebat.* Quis *autem est flos adeo pulchritudine excellens, ut cum decora, & bene instituta uirgine, cuius uultus pudore, & uerecundia suffusus sit, conferri queat?* Habebat *in se duo, quæ stuporem præcipue excitabant, eximiam pulchritudinem, & huic admistum terrorem.* Neque *enim dissolutus, aut inutilis aliquis ipsam intuitus facile amasset, neque ausus esset ab initio aspicere.* Tantus *formæ splendor spectantium oculos perstringebat.*

gebat. Difficulter, & raro cernebatur, aliquando tamen inopinate, & de improuiso, dū uel feram insequeretur, uel aliquem ulcisceretur, tanquam stella emicans, & fulgur elucebat. Deinde cursu confestim accelerato, uel querceto, uel Sylua, uel consuetis umbris occultabatur. Hanc aliquando adierunt finitimi centauri Hylæus, & Rhœcus media nocte audaces, & lasciui amatores, quorum lusus erant nō tibicinæ, non ea, quæ ad urbanos iuuenes spectant, sed piceæ, quibus incensis primo aspectu populum perterruissent, ne dum uirginem unam. ijdem nuper decerptos pinuum ramos confringentes, postea se ipsos his implicantes coronas conficiebant. Assidue, & crebrò armis strepentes, et in montibus incendentes arbores, mali, & iniurij proci ad puellam properabant, ibiq; ante antrum nuptialia dona persoluebant. Puella ubi insidias animaduertit (uidebat enim ex ipso antro ignem, & procos nouerat) minime turbata, neq; aspectu deterrita, arcu curuato sagittam immisit, qua priorem Centaurum opportune strauit. Cum uero alter non lasciue amplius, sed hostiliter irruisset, uolens cædem illam ulcisciseq; ipsum ad audaciam, et alacritatē transferre, hunc quoq; puella altera sagitta transfixit. Atq; hæc de Atalanta Iasij filia satis.

Quomodo Macareum Dij ob crudelitatem ulti fuerint.

Macareus Mitylenæus sacerdos erat Bacchi, aspectu quidem benignus, & mitis, omnium uero maxime impius. Cum enim aliquando hospes ad eū diuertisset, dedissetq; ei magnam auri uim seruandam, Macareus effossa terra in penetrali templi illud occultauit. Aliquot post an=

nis reuersus hospes reposcebat. Hic *introductum in templum tanquã redditurus iugulauit, & aurum refodit, cuius loco hospitem deposuit, ratus id clàm* Dijs *fore, quemadmodum clàm hominibus commissum fuerat.* Aliter *tamen contigit.* Sed *quomodo? paucis post diebus cum* Trieterica *aduentassent & hic sacris operam daret, &* Bacchi *mysterijs intentus esset, duo ipsius filij, qui domi relicti fuerant, imitantes patris immolationem accesserant ad paternam aram, cũ adhuc holocausta arderent.* Cumq; *iunior collum exhibuisset, & uidisset alter paratum gladium, fratrem tanquam uictimam occidit.* Intuiti, *qui erant in domo, statim acclamarunt.* Mater *clamore excitata repente accurrit, uidensq; alterum mortuum, alterum autem tenentem gladium adhuc recenti sanguine aspersum, correpto ex ara torre illum interemit.* Cum *autem facinoris huius nuntius ad* Macareum *allatus esset, quàm celerrime relicto sacrificio, eo, quo erat habitu, furibunde, & cum impetu domum ingressus* Thyrso, *quem habebat, uxorem necauit.* Scelera *hæc iam ad omnium aures peruenerant.* Comprehensus Macareus, *tortusq; aperuit ea, quæcunque in templo commiserat.* Tandem *autem inter ipsa tormenta, & cruciatus perijt.* Ei *uero, quì præter omne ius iugulatus fuerat, publicus honor, à populo habitus est, iussuq;* Dei *sepulchrum est erectum.* Atq; *ita* Macareus *meritas luit pœnas, ut inquit poeta, ipse unà cum liberis, & uxore.*

De Beli monumento, in quo infelix signum Xerxi ostensum fuit.

Cum *xerxes* Darij *filius* Beli *prisci monumẽtum effodisset, urnam reperit uitream, in qua cadauer positum erat in*

oleo, non tamen urna erat plena, sed uacua à summis labris ad quatuor digitorum spatium, Adiacebat urnæ columna breuis, in qua hæc scripta conspiciebantur. Illi, qui monumentum aperuerit, neq; urnam repleuerit, nõ est utile. Quo lecto extimuit xerxes; iußitq; quàm citißime oleum superinfundi, nunquam tamen idcirco urna replebatur. Idq; cum iterũ, atq; iterum fecisset, uideretq; se nihil proficere, destitit ab inani illa olei consumptione. Rursus itaq; concluso sepulchro mœrore confectus illinc discessit. Neq; uero columna postea in mendacio deprehensa est. Cum enim septuaginta hominum Myriadas in Græcos duxisset, indigno, & turpi discessu sibi consuluit. Reuersusq; noctu in lecto omnium turpißime à filio iugulatus est.

De Euripide, qui in conuiuio ebrius est factus.

Cum Archelaus Rex lauto, & magnifico conuiuio amicos excepisset, ibiq; potui liberius, & diutius inseruiretur, Euripides, qui meraciori uino usus fuerat, paulatim in ebrietatem delapsus est. Cumq; prope accumbentẽ Agathonem poetam Tragicum complexus oscularetur hominem quadraginta annos natum, interrogauit eum Archelaus, num adhuc amabilis esset Agatho. Ille, per Iouem, inquit, Non enim solum uer bonorum optimum est, sed etiam autumnus.

Quis primum ingenuos pueros adamarit.

Laium ferunt primum egregijs puerorum amoribus deditum fuisse, cum Chrysippum Pelopis filium rapuerit. Quo facto postea Thebani honestum esse censuerunt speciosos amare.

De natura Arcadici uini, Thasij, & Achaici.

Audio in Heræorum agro, qui est Arcadiæ nasci uites, quarum uinum desipientes efficit Arcadas, fœcundas uero mulieres, & ad procreandum idoneas reddit. Duo uini genera ferunt esse apud Thasios, quorum alterum profundum inducat somnum, & propterea suauem, alterum uitæ infestum, uigilias, & mœrorem afferat. In Achaia circa Ceraunium uinum nascitur, quod abortus causam esse tradunt.

De Thebis captis ab Alexandro, & de Pindaro.

Potitus Alexander urbe Thebanorũ liberos omnes sub hasta uendidit, præter sacerdotes, & paternos hospites, apud quos Philippus adhuc puer fuerat obses. Eos quoque, qui his cognatione aliqua coniuncti erant, dimisit. Idem honore affecit Pindari familiam, cuius etiam domui uni ex cæteris iußit parci. Occidit Thebanorum ad nonaginta millia; in captiuitatem redegit triginta millia.

De Lysandro.

Ferunt Lysandrum Lacedæmonium in Ionia commorantem Lycurgi leges laboriosas, & graues contempsisse, & molliorem postea uitam egisse.

De Lamia.

Lamia meretrix Attica dicebat. Leones Græci, Ephesi fiunt uulpes.

De Dionysio, qui eodem die uxores duas duxit.

Eodem die uxores duas duxit Dionysius, Dorida Locrensem, & Aristænetam Hipparini filiam, Dionis autem sororem, & cum utrisque uicißim cubabat. Altera exercitum sequebatur, altera reuersum excipiebat.

De subiugatione Persarum, & Isocrate.

Audiui Isocratem Rhetorem authorem fuisse, quamobrem Persæ in seruitutem redigerentur, à Macedonibus. Fama enim Panegyricæ orationis, quam Isocrates edidit, in Macedoniam illapsa primum excitauit Philippum aduersus Asiam. Deinde mortuo illo Alexandrũ filium paterni Imperij hæredem ad eandem illam expeditionem accendit.

Quomodo Meton se ipsum militia exolueret, & de Vlysse.

Meton Astronomus, cum Atheniẽses in Siciliam traiecturi essent, ipse quoq; inter alios connumeratus futuram cladem præuidebat. Quare maximè timens, nauigationem fugiebat, dabatq; operam, ut à profectione illa immunis fieret. Cum tamen nihil se proficere animaduerteret, insaniam simulauit, multisq; modis, & factis ad confirmandam morbi opinionem utebatur. Atq; inter cætera domum suam, quæ uicina erat Poecile, succendit. Quo facto magistratus ipsum dimisere. Mea igitur sententia aptius insaniã simulauit Meton, quàm Vlysses Ithacensis. Hunc enim Palamedes, illum Atheniensium nemo prodidit.

De Ptolemæi beneficentia.

Ptolemæum Lagi filium aiunt libentißime, & maximâ cum uoluptate solitum de amicis benemereri. Dicebat enim melius esse locupletare, quàm locupletari.

De Homeri carminibus, & poesi.

Olim ueteres distincta Homeri carmina canebant. Alij enim commemorabant naualem pugnam, insidias aliquas, egregiam Agamemnonis fortitudinem, Nauium

catalogum,ea,quæ ad Patroclum spectant,redemptionis præmia,ludos in Patrocli honorem institutos, & iuramentorum uiolationem. Atq; hæc ex Iliade. Ex odyssea Pylias res,Lacedæmonias; Calypsus antrum, ea,quæ ad ratem spectant, Alcini apologos, de Cyclopibus,de funere,de lauacris Circes, de procorum cædibus,partim in urbe,partim foris commißis.

Lycurgus primus licet serò uniuersam Homeri poesin in græciam tulit ex Ionia,quo tempore peregre profectus est. Postea Pisistratus Iliada, & odysseam coniunctas edidit.

De aliquibus ualde stultis.

Comici poetæ ferunt Polydorum quendam mente maxime stupida extitisse,cutemq; habuisse, quæ nullis flammis, aut incendijs corrumpi poterat. Item alium,qui præ nimia insania arenas numerabat. Fama est Sannyrionem in Lecytho scalam inquisiuisse. Coroebum quoq;, & Melitiadem stultos fuisse memorant.

De Apolloniatis,ipsorum regione,& Epidamno.

Apolloniatæ finitimam Epidamno urbem in sinu Ionico positam incolunt, & ex propinquis locis bituminis fodinæ conspiciuntur,quod è terra erumpens eodem modo, quo pleriq; fontium, locum replet. Non longe immortalis ignis elucet. Est autem exiguus quidam collis ardens,nõ admodum altus,circuitu nõ magno,qui sulphur,& alumen redolet. Circa ipsum floridæ arbores, & pleræq; uirides, à,quibus germinantibus, & iam adultis ignis noctu, & interdiu sine ulla intermißione ardens abstinet. Ita enim Apolloniatæ dicunt,antequam scilicet bellum aduersus Illyrios suscepissent.

Apolloniatæ eadem lege, qua Lacedæmonij, peregrinos usu urbis prohibebant, Epidamnij uero unicuiq; & accedendi, & habitandi potestatem faciebant.

Prouerbium, & de Phrynicho.

Vesparum examen metuit Phrynichus more galli. Prouerbium *de ijs dicitur, qui aliquo damno afficiuntur.* Hunc *timentem Athenienses lachrymantes urbe eiecerunt, cum Mileti excidium, & captiuitatem tragice conscriptam ageret.*

De Dionysio.

Dionysius Siciliæ Tyrannus adeo Tragœdiam amplectebatur, ut etiam Tragicas fabulas conscripserit. Oderat *autem Comœdiam, eò quòd à risu alienus erat.*

Quæ dixerit Cleomenes de Homero, & Hesiodo.

Cleomenes patrio more Laconice dicebat Homerum esse poetam Lacedæmoniorum, Hesiodum uero Ilotarum. Illum enim belli gerendi modum tradere, hunc agrorum colendorum rationem edocere.

De quodam libenter moriente, ut aliquos mortuos uideret.

Vir Megalopolita ex Arcadia Cercidas nomine moriens, familiaribus dicebat se libenter uita excedere. Sperare enim se conuenturum ex sapientibus Pythagoram, ex historicis Hecatæum, ex Musicis olympum, & ex poetis Homerum. Atq; hæc locutus, ut fertur, uita excessit.

De Phrygia harmonia.

Siquis Celœnis Phrygia modulatione apud Marsyæ pellem utatur, pellis ea, & cum sonitu etiam quodam moue-

tur. Si uero apud Apollinis simulachrum, immobilis est, & muta.

De Homeri templo, & simulachro.

Ptolemæus Philopator instructo templo, eoq; Homero consecrato, collocauit eum pulcherrime sedentem; & circum circa eas urbes, quæ sibi Homerū uendicant, prope simulachrum posuit.

Galato pictor pinxit Homerum euomentem, alios autem poetas, ea, quæ euomuisset, haurientes.

De Lycurgo Lacedæmonio.

Cum semper studuisset Lycurgus Lacedæmonius Eunomi filius Lacedæmonios ad iustitiam excitare, mercedem non satis idoneam assecutus est. Nam, ut aliqui ferunt, insidijs Alcandri saxo percussus oculum amisit, alij baculi ictu existimant. Dicitur autem hoc de ijs, qui alia uoluerunt, alia autem assecuti sunt. Scribit Ephorus ipsum fame confectum in exilio interijsse.

De aliquibus, quibus propriæ leges obfuere.

Lycurgus orator lege cauit, ne mulieres in festo Mysteriorum die curru ueherentur, quæcunque autem non paruisset, ea pœna mulctaretur, quam ipse idoneam statuerat. Cum autem eius uxor prima decretum uiolasset, prima quoq; condemnata pœnas dedit.

Pericles legem tulit solos Athenienses haberi, qui ex duobus Atheniensibus nati essent. Is postea legitimis filijs amißis solum spurium habuit. Perspicuum est autem Periclem alia uoluisse, alia uero consecutum.

Clisthenes Atheniensis primus Ostracismi author fuit, & primus genus illud damnationis expertus est.

Zaleucus Locrensium legislator eos, qui in adulterio deprehensi essent, oculis priuandos censuit. Illud uero, quod minime sperarat, præter opinionem fato nescio quo ei contigit. Nam cum filius eius adulterij crimine damnatus secundum ius ab ipso constitutum utroq; oculo carere deberet, suo prius, deinde filij oculo eruto, & debitum supplicij modum legi, quam tulerat, reddidit, & ne adolescens omnino luminibus priuaretur, cauit.

De Pindaro uicto in certamine à Corinna.

Cum Pindarus poeta Thebis contenderet, uictus est quinquies à Corinna propter auditorum imperitiam, quam Pindarus redarguens Corinnam uocabat.

Quomodo Diogenes in inopia rerum omnium constitutus se ipsum consolatus sit.

Diogenes Sinopēsis desertus ab omnibus, & abiectus erat, neminem ipse propter inopiam admittebat, neque ab aliquo admittebatur, tum propter dicax, & maledicum hominis ingenium, tum quòd ad omnia, quæ dicebantur, & fiebant, sese morosum exhibebat. Diogenes igitur mœrore confectus summis folijs uescebatur. Hæc enim non deerant Mus uero frustulis panis utebatur. Quòd cum Diogenes animaduertisset, factus hilarior. Mus hic, inquit, Atheniensium luxu non indiget. Tu uero Diogenes tristaris, quòd non unà cum Atheniensibus cœnas? Atque ita se ad animi alacritatem opportune reuocauit.

De Socratis corpore.

Socratem ferunt corpore fuisse moderatum, & continentem. Nam cum Athenienses publice morbo infestaren-

tur, eorumq; alij morerentur, alijs mortis periculum impenderet, unus ex omnibus Socrates ab initio nunquàm ægrotauit; Qualem igitur animum fuisse credimus eiusmodi corpore inclusum?

De seruo Diogenis lacerato à canibus.

Diogenem patria excedentem seruorum unus Manes nomine sequebatur, qui cum domini consuetudinem abhorreret, aufugit. Cumq; nonnulli hortarentur Diogenem ad inquirendum eum. Non ne turpe est, inquit, Manem non indigere Diogene, Diogenem uero Mane? Seruus postea Delphis captus à canibus discerptus est, atq; ita fugæ pœnas domino persoluit.

De spe.

Dicebat Plato spes esse somnia uigilantium hominum.

De Olympiade moleste ferente Alexandri cadauer inhumatum iacere.

Cum Olympias Alexandri mater audisset filium diu insepultum mansisse, grauiter gemēs, & lugens. Tu, inquit, ò, fili, qui te dignum cælo existimabas, atque id unum potissimum in uita studebas, nunc terræ, & sepulchri honore turpissime cares, quæ duo natura uoluit omnibus æqualia, & communia esse. Atque ita suos casus deplorabat, & filij fastum arguebat.

Quòd Xenocrates misericors fuerit.

Xenocrates Chartaginiensis Platonis familiaris adeo misericors, & humanus erat ut sæpe brutorū miseratione moueretur. Cum in huius aliquando sub dio considentis sinus passer, quem accipiter insectabatur, aduolasset, auē libentissime admisit, seruauitq; tantisper, donec is, qui insequebatur, abijsset; Vbi uero ipsum timore omni li-

berauit, statim aperto sinu auem dimisit, dicens se supplicem non prodidisse.

Quomodo Socrates iactantiam cuiusdam meretricis redargueerit.

Xenophon inquit Socratem aliquando in colloquium uenisse cum Theodota meretrice fœmina pulcherrima, & cum Callisto, Quæ cum diceret. Ego ò Sophronisci fili præstantior sum te. Tu enim neminem ex meis potes à me alienare, ego uero, si uelim, tuos à te omnes. Nõ miram est, inquit ille. Tu enim per decliuia omnes ducis. Ego cogo ad uirtutem uenire, ad quam ascensus est rectus, & plerisque insuetus.

De fortuna Rhodopidis meretricis.

Memorant scriptores Rhodopin meretricem fuisse Aegyptiarum omnium speciosißimam, eiq́; cum aliquando lauaretur, fortunam, quæ inopinata, & insperata plerũq; largitur, non animo, sed pulchritudine digna obtulisse. Nam cum ancillæ uestimenta, & cætera custodirent, delapsa ex alto aquila calceum alterum arripuit, eumq́; Memphin in Psammetichi, qui tunc iudicium exercebat, sinum detulit. Admiratus Psammetichus calcei com positionem, & artificij uenustatem, & quæ ab aquila facta fuerant, iußit per totam Aegyptum eam inquiri fœminam, cuius erat calceus, quam cum inuenisset, uxorem sibi asciuit.

De Dionysio.

* *Cum Dionysius imperasset leonem interfici, ter satellitibus iußit, ut eum inde abducerent, terq́; consilium mutauit. Et quotiescunque adducebatur, lachrymans eum osculabatur, seque ipsum execratus, quòd*

cum ensem sumpsisset, tandem timore uinceretur, iußit perimi dicens. Non licet tibi ò leo uiuere.

De naturali curatione cerui in morbo.

Purgant se cerui, ut aiunt Physici, Selino, ijdemq; cancros comedunt, ex phalangiorum morsibus pruritu laborantes.

De obitu Eurydicæ filiæ Philippi.

Olympias Eurydicæ filiæ Philippi, quam philippus ex Illyrica fœmina susceperat, misit uenenum, laqueum, & ensem. Hæc autem laqueum elegit.

De Gelone, & insidiantibus ipsi.

Etsi Gelo Syracusanorum Tyrannus mitißime in imperio se gerebat, erant tamen seditiosi quidam illius uitæ infesti. Quæ cum audisset Gelo, conuocatis in concionē Syracusanis, armatus in conspectu omnium prius commemorauit ea omnia commoda, & ornamenta, quibus eos affecerat. Deinde proditionem detexit. Tandem depositis armis omnibus audiētibus ita locutus fertur. Ecce adsum tunicula indutus absq; ullis armis, dedo me uobis. In uestramanu salus, & interitus meus positus est. Tunc Syracusani regiam mentem admirati concesserūt, ut in insidiatores liceret ei iure suo uti, imperiumq; reddidere. Ille uero hos puniendos populo permisit. Syracusani igitur ob hoc factum, statuam ei discinctam tunicam ostentantem erexerunt, ut esset monimentum popularis administrationis, & posteris exemplum, qua ratione imperium gubernari debeat.

De Alcibiade.

Alcibiades Homerum plurimi faciebat, atq; ita, ut cum aliquando ad literarium ludum profectus Iliada postulas-

set, dixissetq; magister se nihil Homeri habere, pugno illum percusserit, dicens & magistrum ineruditum esse, & similes quoque fore pueros.

Idem ad causam capitalem ab Atheniensibus è Sicilia uocatus non paruit, dicens stultum esse reum illum, qui, cum liceat fugere, non fugiat. Cum uero quidam dixisset: An non credis patriæ de te ipso iudicium? Ego, inquit, ne matri quidem. Vererer enim, ne imprudens, & à ueritate aliena pro calculo albo nigrum iniiceret. Cum igitur audisset se mortis à ciuibus condemnatum, ostendemus eis, inquit, nos uiuere. Et ad Lacedæmonios profectus Decelicum in Athenienses bellum excitauit.

Idem dicebat recte facere Lacedæmonios, cum in bello intrepide moriantur. Fugientes enim legum angustias prompte mortem cum laboribus commutant.

Consueuerat quoq; dicere, se, quantum ad actiones suas spectat, Castoris, & Pollucis uitam uiuere, cum quotidie moriatur, & reuiuiscat. Nam si feliciter apud populum egerit, se dijs parem haberi, si secus, nulla in re à mortuis differre.

De Ephialte.

Cum Ephialte dux quidam paupertatem exprobrasset, ille. Cur non, inquit, & alterum dicis, quòd sum iustus?

De Themistocle.

Cum Themistocles in Persicum torquem forte humi iacentem incidisset, fertur puero dixisse. Cur non hunc tollis? ostenso torque. Non enim es tu Themistocles.

Cum eundem Athenienses aliquando infamia notassent, &

rursus ad administrationem urbis aduocarent. Ille non probo, inquit, eos uiros, qui eodem uase & pro matula, & pro poculo utuntur.

Aduersabatur aliquando in dicendo Eurybiadæ Lacedæmonio, atque ob id baculum ille tanquam percussurus extēdebat. Tunc, percute, inquit, sed audi. Nouerat enim ea, quæ dicturus erat, populo fore utilia.

De Phocione.

Lugentibus ijs, qui unà cum Phocione morituri erant, dixisse fertur Phocion. Non ne ò Thudippe contentus es mori cum Phocione?

De Epaminonda.

Reuersus ex Laconica Epaminondas capitis causam cum collegis coactus est dicere, quòd menses quatuor imperiū Bœotiæ contra legem retinuisset. Collegas igitur iussit, totum crimen in se ipsum transferre tanquàm ui coactos. Ipse in concionem progressus, negauit se habere uerba rebus meliora, Sed, si quid dicendum esset, censere se, si ab ipsis necandus iudicetur, ut columnæ condemnationem inscribant, quo Græci omnes sciant Thebanos uel nolentes fuisse ab Epaminonda coactos igne Laconicam deuastare, quæ per quingentos annos intacta permanserat, Messenen autem componere post trecentos, & triginta annos, Arcadas in unum cogere, & Græcis libertatem reddere. Iudices igitur his auditis, pudore affecti Epaminondam absoluere. Cui cum reuerso ex iudicio Melitæus catellus cauda blandiretur, conuersus ad eos, qui unà erant, Refert, inquit, mihi catellus gratiam ob accepta beneficia. Thebani autem, de quibus sæpissime benemeritus sum, mortē mihi iudicio statuerunt.

De Timotheo.

Timotheus Athenienſium Dux exiſtimabatur fortunatus eſſe, dicebatq́; fortunam omnium eſſe in cauſa, Timotheus uero nullius. Quapropter pictores in comicis ſcenis dormientem pingebant, fortunamq́; illius capiti impendentem urbes in rete attrahere. Idem Themiſtocli cuidam interroganti, quanam re potiſsimum gauiſus eſt in uita, reſpondit. Videre in olympijs totum Theatrum conuerſum in me in ſtadium progredientem.

De contentiore Themiſtoclis, & Ariſtidæ.

Themiſtocles, & Ariſtides Lyſimachi filius eoſdem tutores habuerunt, propterea unà educati ſunt, & ab eodem magiſtro inſtituti. Hi, cum eſſent pueri, aſsidue inter ſe contendebant, quod diſsidium ab ineunte ætate ad extremam uſque ſenectutem permanſit.

De Dionyſij impietate.

Dionyſius matrem ueneno ſuſtulit, idemq́; cum in nauali prælio Leptinem fratrem poſſet ſeruare, pereuntem neglexit.

De Dracone beneficij memore.

Patris Achaiæ urbe puer draconem paruum emit, domiq́; ſummo ſtudio, & cura nutriebat, Et cum iam creuiſſet, alloquebatur eum tanquàm audientem, ſimul ludebat, & dormiebat. Draco poſtea in immenſam magnitudinem extenſus à ciuibus in ſolitudinem miſſus eſt. Cum uero aliquando puer iam factus adoleſcens à quodam ſpectaculo reuerteretur, incidit in prædones unà cum æqualibus. Clamore adoleſcentis excitus Draco alios in fugam uertit, alios occidit, ipſum uero conſeruauit.

AELIANI DE VARIA HISTORIA

LIBER QVARTVSDECIMVS.

Qualis fuerit Aristoteles erga honores.



Ristoteles Nicomachi filius & sapiens erat, & habebatur. Hic cum decretis sibi apud Delphos honoribus, à, quodam priuaretur, de his Antigonum certiorem fecit, dicens, sibi ea, quæ Delphis decreta, erepta fuerant, neque nimiæ, neque paruæ esse curæ; Atque hæc fortasse non sunt ambitionis uitia, neq; crimen hoc Aristoteli obijcerem. Sed cum is ratione excelleret, arbitrabatur dißimile esse dignitatem aliquam non accipere, & accepta priuari. Non enim molestum est aliquid non assequi, sed graue, ubi iam assecutus fueris, amittere.

De Agesilao, & Barbaris peierantibus.

Commendabat Agesilaus barbaros iurisiurandi uiolatores, dicens propter periuria eos, à, dijs odio haberi, se uero amari, & adiuuari.

De immodica profusione.

Acerbißimis uerbis Timotheus Aristophontem prodigum increpabat, inter cætera dicens, ei nihil turpe esse, cui nihil satis est.

De Arist

De Aristide moriente morsu mustelæ.

ristides Locrensis à Tartesia mustela morsu dicebat moriens se multo libentius moriturum, si à leone, uel pardo morsus esset, necesse est enim aliquam esse mortis occasionem, quàm ab eiusmodi fera. Multo enim grauius mea sententia ignominiam morsus ferebat, quàm mortem ipsam.

Quos Athenienses Reipub. administrationi præficiebant.

thenienses non solum urbanis negocijs, & bellicis administrationibus ciues præficiebant, sed etiam externos publicorum munerum participes fieri uolebant, præsertim si bonos eos, & ad has administrationes idoneos cognouissent.

ollodorum Ciyzicenum, quàmuis esset peregrinus, imperatorem delegerunt, & Heraclidem Clazomenium. Hi enim cum præclare, & honorifice plerisque in rebus se gessissent, uidebantur Atheniensium quoque imperio esse digni. Ob quæ laudandam censeo ciuitatem, quòd non solum ciuibus gratificaretur, ijsq; rerum suarum summam crederet, sed ob uirtutem dignos honore, etiamsi nullo generis uinculo essent coniuncti, decoraret.

Aristippi sententia de constantia.

nsueuerat Aristippus firmißimis rationibus monere, neque præteritis dolendum, neque de futuris laborandum. Id enim dicebat & constantiæ esse signum, & tranquillæ mentis indicium, iubebatq; animum ad quotidianos euentus, & ad eam diei partem, qua quisque uel aliquid agit, uel cogitat accommodari. præsens enim

non autem præteritum, neque futurum in nostra esse manu. Illud iam effluxisse, hoc incertum esse, an euenturum sit.

Lacedæmoniorum lex de corporum colore, bona habitudine, & corpulentis.

Lacedæmonia lex ita ait. Nemo Lacedæmoniorum colore mollitiem præ se ferat, aut corpore sit pinguiore, quàm exercitationibus conueniat. Alterum enim ignauiam declarabat, alterum non esse uirum. Ascriptum erat etiam hoc in lege, ut Ephebi omnes decimo quoque die publice Ephoris nudi aßisterent. Quòd si essent corpore bene constituto, firmo, & ex nimijs exercitationibus, aßiduisq; certaminibus fracti, tunc laudibus extollebantur; siquid autem molle, ac languidum in membris appareret, & siqua ex nimio ocio pinguedo subreperet, cædebantur, & in ius adducebantur. Ephori quoque quotidie curam habebant eorum, quæ ad uestimenta spectant, Siquod à decenti ornatu alienum uideretur. Carnis solum coquos oportebat esse Lacedæmone, qui uero præter hanc artem aliam nouisset, urbe eijciebatur, tanquàm ægrotantium sordes.

Iidem Nauclidem Polybiadæ filium corpore maxime obesum, & pinguem ex nimio luxu factum è concione spectantibus omnibus eduxerunt, minantes exilium, nisi rationem illam uiuendi reprehendendam, & magis Ionicam, quàm Laconicam mutasset. Ipsius enim speciem, & corporis habitudinem Lacedæmoni, & legibus ignominiæ esse.

Quomodo Polycletus, & Hippomachus uulgi imperitiam redarguerint.

Statuas duas eodem tempore Polycletus effinxit, alteram populo gratificans, alteram legi artis inseruiens. Gratificatus est autem populo hoc modo. Singulis ingredientibus aliqua immutauit in pictura obtemperans uniuscuiusque dictis. Cum igitur utrasque spectandas proposuisset, altera omnibus admirationi, altera contemptui, & risui erat. Quod cum uideret Polycletus, hanc, inquit, quam uituperatis, uos fecistis, hanc, quam admiramini, ego.

Cum Hippomachi tibicinis discipulus quidam tibiæ cantu errasset, & à populo laudatus fuisset, attigit eum magister uirga dicens. Male cecinisti; Neque enim hi te laudassent.

De Xenocratis patientia.

Xenocrates Chalcedonius, cum ei Plato ingratitudinē exprobraret, neque moleste tulit, neq; ira commotus est. Immo cum à quodam irritaretur, ut Platoni responderet, prudenter quidem hominis dicta repreßit, dicens, Hoc mihi utile est.

Quomodo Phocion Demadis dicacitatem eluserit.

Cum Athenienses prætulissent Demadem Phocioni in administratione exercitus, Demades paulo erectior ad Phocionem profectus. Mutua mihi, inquit, sordidam chlamydem, quam imperator solitus es gestare. Tunc Phocion. Nulla tu certe, inquit, sordida re indigebis, quandiu talis fueris.

Qualem oporteat esse principem erga subiectos.

Philiscus aliquando apud Alexandrum dicebat, Gloriæ quidem præter cætera stude, ne tamen sis pestis, aut magnus aliquis morbus, sed pax, & salus, uolens significare, uiolentum, & acerbum imperium, ciuitatum expugnationes, populorum excidia, pestis propria esse, ualetudini uero, & suorum saluti prospicere, pacis esse commoda.

Quid faciebat Persarum Rex in itinere.

Persarum Rex in itinere, ne ociose degeret, cultello Philyram poliebat; Atq; hac in re manus Regiæ uersabantur, non autem in libris, neq; animus in meditatione, ut uel aliquid serium, & graue legeret, uel aliquid illustre, & memoratu dignum reuolueret.

De Tragœdijs Agathonis.

Vtitur Agatho multis, & crebris Antithetis, quæ cum quidam correcturus moneret ex ipsius tragœdijs tollenda. Ille, non animaduertis, inquit, ò, bone uir, te Agathonem ex Agathone delere? Adeo ob hæc gloriabatur, putabatq; tragœdiam suam ex his constitui.

De Stratonico Citharœdo.

Inuitauit quidam benigne Stratonicum Citharœdum, quo gauisus Stratonicus, neque enim habebat diuersorium, tanquàm in externam urbem profectus, hominem amplexus est, gratiasq; ei egit, quòd alacriter, & prompte tecto excepisset. Vbi uero Stratonicus unum, & duos, & item plures introeuntes aspexit, sensitq; domum omnibus uolentibus hospitari patere, tunc is comiti, Abeamus, hinc, inquit, uidemur enim palumbem pro columba habere, cum pro domo in hospitium inciderimus.

De Socratis sermonibus.

Olim ueteres Socratis sermones Pausonis picturis compa-rabant, Pausonem enim pictorem, cum mercede condu-ctus esset, ut conuolutum equum pingeret, currentem pinxisse; Cumq; is, qui tabellam dederat, indignaretur, quod præter pacta picturam fecisset, respondisse illum aiunt, uerte tabellam, & eum, qui nunc currit, conuolu-tum habebis. Eadem ratione Socratem non aperte dis-serere, cuius tamen sermones si quis conuerterit, rectis-simos, & facillimos esse. Cum enim nollet Socrates eo-rum odium, apud quos disserebat, in se concitare, obscu-re, & oblique loquebatur.

De Hipponici ambitione.

Cum Hipponicus Calliæ filius in animo haberet statuam, ue-lut donarium quoddã patriæ erigere, consuleretq; qui-dam, ut eam Polycleto fingendam traderet. Negauit si-bi eiusmodi donarium placere, quod gloriam non ei, qui sacrarit, sed ei, qui fecerit, sit allaturum. Perspi-cuum est enim spectatores Polycleti artem, & non se admiraturos.

De Archelao, & picturis Zeuxidis.

Dicebat Socrates Archelaum quadraginta minis condu-xisse Zeuxim heracleotam, ut, quam habebat domum, picturis exornaret, in se ipsum uero nihil omnino soli-tum expendere, & propterea è longinquis regionibus confluere multos ad spectandam domum, ad ipsum au-tem Archelaum neminem proficisci, nisi si quem pecu-nijs alliceret, quibus tamen probum hominem non mo-ueri aiebat.

Qua pœna iratus herus uoluerit seruum afficere.

Homo Chius seruo iratus, Ego *te, inquit, non dedam in pistrinum, sed* Olympiam *ducam. Longe enim grauiorem pœnam censebat* Olympiæ *spectantem à radijs solis torreri, quàm in pistrino molere.*

De modestia Archytæ in sermonibus.

Archytas adeo modestus, & continens erat, ut uerba parum decora abhorreret. Cum uero aliquando nescio quid minus honestum cogeretur dicere non potuit adduci, ut id faceret, sed reticuit, illud autem in pariete inscripsit, ostendens se, quamuis coactum non tamen dixisse id, quod maxime cogeretur dicere.

De historia quadam ridicula.

Sybarita pædagogus (nam & ipse cum esset unus ex Sybaritis, molliter uiuebat) puerum, quem secum habebat, grauißimè obiurgauit, quòd repetam forte in uia caricam sustulisset, atque ipse ridicule sanè illam postea deuorauit. Quòd *cum apud Sybariticos scriptores legerem, facere non potui, quin riderem.* Ego *quoque ob insitam in me humanitatem hac commemoratione uolui alijs occasionem ridendi exhibere.*

De Syagro poeta.

Syagrus poeta, qui extitit post Orpheum, *&* Musæum, *primus fertur* Troianum *bellum cecinisse, ausus quidem præclarum scribendi argumentum sumere.*

De Tyranno coercente mutua subiectorum colloquia.

Cum Tryzus Tyrannus *quidam uellet cõiurationes omnes, & insidias contra se tollere, lata lege indigenas omnes, à publicis, & priuatis cum altero colloquijs probibuit:*

quod quidem omnium grauißimũ, molestißimumq; erat. Ciues igitur Tyranni imperium hac ratione eludebant. Nutibus, gesticulationibus, aspectu acerbo, & graui, modo quieto, & hilari, & periculosis, turbulentisq; temporibus superciliorum contractione, animi affectus familiaribus, & amicis mirifice per uultum significabant: Hæc quoq; uidebantur Tyrannum offendere. Verebatur enim, ne silentium illud propter uultus, & gestus uarietatem aliquod sibi detrimentum afferret. Quare & hanc loquendi uiam interclusit. Cum igitur quidam rei illius indignitatem ferre non posset, cuperetq; funditus Monarchicum illud imperium delere, in forum profectus multas lachrymas, gemitusq; emittebat. Hunc plorantem cum uniuersa ferè multitudo circunstetisset, omnesq; in eundem luctum erupissent, nuntiatũ est Tyranno neminem amplius uti nutibus, sed lachrymis multis. Quare is festinabundus, ut etiam naturalem, & innatam libertatem oculis adimeret, quemadmodum linguam, & nutus in seruitutem redegerat, eò quàm celerrime potuit unà cum custodia contendit, ut lachrymas quoq; comprimeret. Illi uero, cum priores ipsum uidissent, correptis satellitum armis Tyrannum occiderunt.

De Clinia, & Achille iram musica reprimentibus.

Clinias moribus fuit integerrimis, & sapientia Pythagoricus. Hic, si forte in iram delapsus sentiebat se paulo post furiosum fore, priusquàm uehementi hac perturbatione accensus ab alijs dignosceretur, lyra optime cõposita modulabatur, sciteq; interrogantibus causam respondebat se hac ratione placari. Achillem quoq;, cum

in Iliade cythara canit, sibiq; modulatione illa priorum uirorum laudes, & res gestas in memoriam reducit, irã sopire credimus. Cum enim musicæ studiosus esset, lyrã primam ex omnibus spolijs accepit.

De aliquibus, qui pro ciuium salute pecunias neglexerunt, & alijs, qui eos, quibus pecunias debebant, occiderunt.

Nonnulli, cum in maxima rerum omnium copia uersarẽtur, uiderentq; ciues suos extrema egestate laborare, neglectis pecunijs singularem magnificentiam declararunt, quo in numero fuit Corinthi Theocles, & Thrasonides, Mitylenæ Praxis. Iidem alios hortati sunt ad leuandos paupertatis onere inopes, quibus tamen hortationibus cum nemo paruisset, ipsi eas, quæ debebantur pecunias condonarunt. Ex quo nullum quidem argentum lucrati sunt, sed suæ ipsorum uitæ consuluerunt. Illi enim quibus pecuniæ non remissæ fuerant, ira, & inexpugnabili paupertate, & præsentium rerũ necessitate adacti eos, quibus debebant, occidere.

Qua ratione quidam persuaserit concordiam in republica conseruandam.

Cum aliquando Chij grauissimo seditionis morbo laborarẽt, eorum quidam natura populi studiosissimus ad eos amicos conuersus, qui de eijciendis urbe aduersarijs omnibus cogitabant. Minime, inquit, faciamus, sed quoniam superiores fuimus, relinquamus aliquos, ne in posterũ, si aduersarios omnes sustulerimus, in nos ipsos turpiter arma conuertamus. Atq; hæc cum dixisset, statim eius

sententiæ omnes assensere. Videbatur enim optima, & utilissima dicere.

De Antagora conuitijs insectante Arcesilaum.

Antagoras poeta Arcesilaum Academicum maledictis insectabatur, sucq; etiam cum malo in forum accedens. Ille uero magnifice eò se conferebat, ubi frequentissima erat turba, et cum amicis colloquebatur, ut conuitiatoris iniquitas pluribus innotesceret, ij enim, qui audiebant, conuersi Antagoram insaniæ accusabant.

De Agesilao.

Eos ego maxime laudandos arbitror, qui subrepentia mala subinde intercidunt, priusquàm firmioribus radicibus innitantur. Agesilaus itaq; consuluit, ut ij indicta causa occiderentur, qui noctu sub Thebanorum irruptionem simul conuenissent.

De Pythea oratore.

Accusabat quidam Pytheum oratorem, quòd esset improbus. Confestim ille conscientia adactus non negauit, respondités; se minimo tempore eorũ, qui in Atheniensium administratione uersati essent, improbum fuisse. Superbus sanè, nimisq; elatus, quòd non perpetuò licuerat eiusmodi esse. Censebat enim se non inique agere, si inter pessimos nõ connumeraretur. Stultum profectò Pytheæ dictum. Neq; enim sententia mea improbitas ex actione sola, uerum & ex cogitatione dignoscitur.

Quòd Lysander pecunias Spartam tulerit.

Lysander primus pecunias Lacedæmonem tulit, docuitq; Lacedæmonios diuinum mandatum uiolare, quod erat eiusmodi, ne aurum, & argentum Spartam importaretur. Aliqui igitur ex ijs, qui recte sentiebant, quosq; la-

conica illa uirtus Lycurgo, & Pythico oraculo digna non defecerat, rem prohibuerunt. Qui uero admiserunt, infamiam sibi peperere, & prior illa uirtus paulatim concidit.

Qua ratione Annon uoluerit se ipsum Deum facere.

Annon *Chartaginiensis præ nimio fastu humanis terminis non contentus cupiebat maiora, & quæ sunt supra hominem, de se prædicari.* Nam *cum aues multas ex ijs, quæ modulationibus in cantu utuntur, emisset, nutriuit eas in obscuro loco, docuitq; id unum dicere.* Annon Deus *est. Cum autem aues unam hanc uocem auditam percepissent, aliam aliò dimisit, ratus carmen illud, quod aues edocuerat, alijs etiam in locis diuulgatum iri. Quæ tamen opinio eum fefellit.* Nam *aues semel solutæ, & ad propria, & consueta loca profectæ, priores, & naturales cantus, quiq; ad aues spectant, edebant, contempto* Annone, *& ijs disciplinis, quas captiuæ edidicerant.*

De Ptolemæo cognomento Tryphone.

Ptolemæus Tryphon *(hoc enim ei cognomen ex molli uiuendi ratione impositum fuit) cum formosa quædam mulier cuperet cum eo colloqui,* Prohibuit, *inquit, soror, ne formosam fœminam loquentem audirem. Tunc illa intrepide, & festiue.* Formosum, *respondit, libenter audires. Quod dictum* Ptolemæus *uisus est laudare.*

De Timandrida non probante filium ditescere.

Cum Timandridas *Lacedæmonius aliquando peregre profectus, filio domus custodiam reliquisset, & deinde reuersus rem familiarem ampliorem, quàm reliquerat, forte reperisset. Ab illo, inquit,* Deos, *& familiares, & hospites uiolatos. Immodicas enim pecunias à liberis ho-*

minibus in deorum honorem expendi, siquidem omnium humanarum turpißima res est, uideri in uita pauperẽ, post obitum uero locupletem agnosci.

De Platone, & Diogene.

Cum Plato de quibusdam rebus dissereret, neq; Diogenes, qui aderat, attente audiret, indignatus ille. Audi, inquit, sermones meos canis. Quo dicto minime perturbatus Diogenes. Ego, respõdit, nunquàm eò redij, unde uenditus sum, quod solet fieri, à, canibus. Latenter arguens illius profectionem in Siciliam.

Idem Plato solitus erat, ut aiunt, de Diogene dicere, illum esse Socratem insanientem.

A quo Aegyptij iura didicerint, & de iudicibus, qui apud eos sunt.

Aegyptij ferunt se à Mercurio iura didicisse. Adeo pleriq; consueuerunt domestica extollere. Iudices olim apud Aegyptios erant sacerdotes, inter quos sententiæ, & iudicij princeps erat senior. Eum oportebat iustißimum esse, & seuerißimum. Gestabat collo annexam ex Sapphiro lapide imaginem, quæ Veritas dicebatur. Ego uero cupiam nõ in lapide, sed in ipso animo expressam ueritatem à iudice ferre.

De Laide.

Lais Axine, hoc est Securis appellabatur, quod cognomen morum feritatẽ redarguebat, quodq; nimiam auri uim exigeret, præsertim, à, peregrinis, eò quòd illi citius discessuri essent.

Quòd ridiculi sint ij, qui maiorum suorum uirtute nimis efferuntur.

Deridendos ego censeo illos, qui patrum, maiorumq; nogi=

litate nimis gloriantur, siquidem Marij patrem ignoramus, ipsum tamen ob egregia facinora admiramur. Item Catonem, Seruilium, Hostilium, & Romulum.

De simulachris, & imaginibus.

Consueui statuas, quas figulorum studium nobis exhibet, et picturas, diligentissime spectare. Nam hæc quoq; manuũ opera singularem quandam prudentiam requirunt. Cuius rei ueritas cum multis ex alijs dignosci potest, tum uero præcipue ex hoc, quòd nemo unquam pictor, neq; figulus ausus est falsa, adulterina, & aliena specie Iouis filias effingere. Neq; artifex aliquis adeo iuuenili insania laborauit, ut easdem armatas ediderit. Hoc autẽ præclare indicat oportere in Musis quietam uitam, mitem, ipsisq; dignam inesse.

De Epaminonda, & Pelopida.

Epaminondæ Thebani multa quidem egregia celebrantur, illud uero præcipue, quòd Pelopidæ suadebat, nõ prius é foro decedendum, quàm aliquem amicum ad ueteres adiunxerit.

Qua ratione Antalcidas unguento delibutum donum, & ad se missum reprehenderit.

Persarum Rex (uolo enim festiuum nescio quid commemorare) cum coronam unguento deliuisset, (erat autem hæc rosis conserta) misit Antalcidæ legationem apud se de pace obeunti. At ille accipio, inquit, donum, & regiam agnosco liberalitatem, rosarum autem odorem, & naturalem fragrantiam fucato artificio corrupisti.

De crudelitate Alexandri Tyranni Pheræorum.

Alexander Pheræorum Tyrannus omnium sæuissimus habitus est. Cum uero Theodorus Tragœdiarum scriptor

cum maxima affectuum expreßione Aeropen ageret, Tyrãnus in lachrymas effusus è Theatro discesßit. Qui *postea se apud Theodorum purgans dicebat se non contemptus, aut contumeliæ causa recesßisse, sed quòd erubesceret histrionis affectibus moueri, suorum autem ciuium incommodis minime.*

De Apollodori insania ex nimio potu.

Cum *Apollodorus omnium bibacisßimus esset, id uitium non occultabat, neq; ebrietatem, aut, quæ ex ea proficisci solent incommoda, cælabat, sed à uino accensus, & inflamatus truculentior erat, cum corporis quoq; ipsius habitudo ad naturam adiungeretur.*

Xenocratis sententia.

Dicebat *Xenocrates Platonis discipulus nihil interesse, pedes ne an oculos in alienam domum inijceres. Eadẽ enim ratione peccare eũ, qui ea loca intueatur, quæ non decet, & eum, qui eò proficiscatur, quo non est opus.*

De Ptolemæo, & Berenice.

Cum *Ptolemæus, ut ferunt, alea luderet, quidam ipsi asßistens nomina condemnatorum, & iudicata recensebat, ut ille eos, qui digni essent morte, declararet. Berenice uero uxor accepto è manibus pueri libello uetuit eum ulterius legere, dicens de hominis uita diligentius considerandum, neq; Ludicris animum adhibendum. Disßimilem enim esse talorum, & corporũ casum. Ptolemæus uxoris uerbis gauisus, nunquam post id tempus inter ludendum de homine sententiam tulit.*

Laconica lex de auaritia.

Cum *emisset adolescentulus Laconicus uili precio fundum, ductus ad magistratus mulctatus est. Turpe enim esse*

putabāt Lacedæmonij adolescentem iam à puero nimio luri studio ardére. Nam & hoc apud eos illustre habebatur, & singulari laude dignum non solum hostibus in acie resistere, sed etiam argento.

De aliquibus fœminis illustribus.

Ex *Græcis mulieribus maxime commendamus* Penelopen, Alcestin, & *Laodomiam* Protesilai *uxorem*. Ex Romanis *Corneliam*, Portiam, *et Cestiliam. Possem et alias enumerare, ne tamen, cum paucas ex Græcis dixerim, uidear uelle mihi ipsi ob patriam gratificari*, Romanarum *nomina conticescam.*

De instructione aciei Magnetum contra Ephesios.

Magnetes, *qui propè Mæandrum habitant, bellum aduersus* Ephesios *gerentes, equites singuli secum commilitonem agebant, uenáticum canem, & seruum iaculatorem. Cum uero manus conserebant, prosilientes canes maxime formidabiles, et intractabiles hostilem impreßionem coercebant, Serui ante dominos iaculabantur. Atq; ita canibus, quorum prior irruptio aciem turbarat, succedebant serui, ijq; in conspectu omnium egregie operam suam nauabant. Postremo ipsi irruebant.*

De Imagine Helenæ picta à Zeuxide, & de Nicostrato pictore.

Cum Nicostratus *Pictā à Zeuxide* Heracleota Helenæ *imaginem cum stupore intueretur, quidam prope accedens rogabat, cur tantopere artem admiraretur. At ille, non rogares, inquit, si meos oculos haberes.* Ego *uero idem dicerem de sermonibus. Siquis bene institutas aures habet, quemadmodum* Chirurgi *peritos artis oculos.*

Quos suspectos habuerit Alexander.

Alexandro suspecta erat Ptolemæi dexteritas, idem Arrij confusam mentem timebat, & Pythonem, quòd nouarum rerum studiosus esset.

Cur Philippus filios maxime probatorum hominum uoluerit ministros suos esse.

Delegit Philippus filios maxime illustrium hominum, ut eorum opera, & ministerio uteretur, non contumeliæ, neq; contemptus causa, uerum ut ipsos laborum tolerantes, & promptos ad omnia agenda efficeret. Iis enim qui molliter uiuebant, & segniter mandata exequebantur, infensissimus fuisse dicitur. Nam Aphthonetum flagris percussit, quòd relicta acie, cum sitiret, in quoddam diuersorium ingressus esset. Archedamum quoq; occidit, quòd cum iussisset eum in armis stare, non paruisset. Existimabat enim se adulationibus, & blanda aliqua insinuatione Regem ipsum placaturū, tanquā is, qui nimium lucri cupidus esset.



F I N I S.



PINDARI PYTHIORVM ODE TERTIA, QVAE INSCRIBITVR IN HIERONEM CELETE AB EODEM IACOBO LAVREO VENETO HEROICO CARMINE DONATA.



ARGVMENTVM.



SCRIBITVR *hæc ode in laudem Hieronis Syracusanorum Regis, quem uictorem Celete poeta prædicat. Cum autem Hieron calculari morbo laboraret, captat beneuolentiam poeta à persona ipsius Regis, cum statim in ipso odes initio precetur Chironem Centaurum medicorum omnium præstantißimum reuiuiscere. Sumptum est igitur exordium ab ipso Chirone filio Saturni, & Phillyræ. Postea digreditur in laudes Aesculapij, quem ait medicinam optime didicisse a Centauro. Præterea more suo poeta nonnulla de Coronide Aesculapij matre commemorat, & qua ratione contempto Apollinis coniugio stulte cũ mortali homine coierit. Postremo Regem consolatur, monetq; moderate ferendum esse morbum. Nihil enim ait ex omni parte beatum esse, idq; & exemplis, & sententiarum grauitate comprobat.*

Qvàm uellem, (si fata sinant effundere tales
Ore preces) iterũ ad supos Chironã reuerti
Saturno, & nympha genitum, summumq; tenere
Pelion, umbrosis ubi quondam uallibus errans
Horrendum uisu monstrum mortalibus esse
Auxilio herbarum succis, & caule solebat.
Quale olim patria amplexum pietate salutis
Authorem, quid terræ usus, & uiscera possent,
Edocuit, iussitq; suas florere per artes.
Quem Phlegya generata, pio dum clauderet aluo,
Consilijs phœbi, telisq; extincta Dianæ
Occubuit, nigrasq; umbras, & tartara adiuit,
„ Iræ etiam non uanæ animis cœlestibus hærent.
Ex quo mortales uisus, hominisq; cubile
Aspexit, prius intonso commista marito,
Et cum uisceribus diuini semina fœtus
Gestaret, stabili non passa est iungier amens
Connubio, lætos strepitus, mensasq; iugales
Dedignata, quibus noua castæ pectora sponsæ
Mulcentur, dum nocturnis conuiuia curant
Cantibus æquæuæ, celebrantes dona hymenæi.
Exarsit subito (sic est) absentis amore.
„ Vlteriora petit genus hoc mortale, propinqua
„ Negligit, & uana sic spe deludimur omnes.
Ergo ubi complexus furijs euicta Coronis
Hæmonij tetigit iuuenis, uetitumq; cubile
Ascendit patre ignaro, tunc lumina torquet
Phœbus ad Hæmoniæ colles, & stagna paludis

Phillyrides Chirõ. Vir. Geor. lib. iii.

Prima Parecbasis. Chiron Aesculapium, Achillẽ, Iasonẽ & Herculem erudiit.

Secunda Parecbasis. Corõis Phlegye filia. Ischyn præposuit Apollini. cuius etiã rei causam refert Agesilaus.

Tertia Parecbasis.

Quarta Parecbasis.

Boebias palus adiacens. Lacerie urbi Thessaliæ. Quinta parecbasis.

Boebiadis (locus hic miseræ dilectus amanti)
Extemplo Deus haud fallax, quem nemo fefellit
Non hominum, non cœlicolum, præcordia diris
Accensus flammis, inimica uoce sororem
Compellat, stimulisq; animos irritat acutis

Apollo Dianam:

Fœmina, quæ nostros uiolauit perfida amores,
Cœlestes exosa thoros, & mista profanis
Coniugijs, tua tela soror, neruumq; sonantem
Sentiat, & superum discat contemnere flammas.
His dictis commota leues de more sagittas

Pestilentiæ fuerunt authores Apollo et Diana.

Corripuit, lætiq; eadem fortuna propinquis
Causa fuit populis, fuerat quæ criminis author.
Ac ueluti infirmis exorta incendia flammis
Indomitis paulatim animis fastigia summi
Peruolitant tecti, & uacua bacchantur in aula.
Aut cum frondentem Syluam, si lentus adhæsit
Forte uapor folijs, aut ignis semina truncus
Seruet, & excelsi faueat clementia cœli,
Vndantes crepitus flammæ absumpsere repente.
Haud aliter miseranda lues, & nuncia læti
Sæuijt immeritas in gentes, crimine & uno
Repsit ad externos clades furtiua penates.

Sexta Parecbasis. Ouidius. II. Metamorphoseon.

Ast ubi pallentes æquæuæ uirginis artus
Imposuere Pyra, nondum Vulcanus in illam
Irruerat; quando ecce Deus non passus eisdem
Ignibus extingui matrem, monimentaq; matris,
Flamma aditũ præbente, rogos conscendit, et aluo

Septima Parecbasis.

Eductos fœtus Chironi tradidit, à, quo
Lætales hominum morbos medica arte leuare
Disceret, & uarijs animos exoluere curis.

Phœbigena assuetus studijs melioribus, apte
Vlcera, & inspersam saniem abstergebat, acutus
Non ensis, non tela hosti, non saxa nocebant.
Quin etiam cæcas flammas, ignesq; latenteis
Credimus extinctos, & quæ mala semina febris
Horrenti inuadunt mortalia membra rigore.
Proderat his potu dulci, quandoq; fouebat
Carminibus læsas partes, medicamine molli
Interdum, ferro lenibat sæpe dolores.
Huic tamen omnipotens contorto fulmine clausit
Spiramenta animæ, precio quia lumine cassum
„ Reddidit ad superos (uirtus quoq; uēditur auro)
„ Cœlicolæ uetuere animo immortalia tangi
„ Mortali, iussere ijdem præsentia curæ
„ Esse, homini memori, quo fato, ac lege creatus.
„ O nunquam tales stimulos sub pectore uertam,
„ Inferior contentus ero, quascunque dederunt
„ Dij superi metas, humana ducere sorte.
Ergo latebrosi si Chiron tegmina saxi
Incoleret, si carminibus fera corda mouentur
Centauri, blanda iam pridem uoce coactus
Vt quondam, calidis soluisset corpora morbis.
Forsitan & cantu allectus uenisset Apollo,
Filius aut aliquis, tunc tali munere diues
Optatas Arethusæ undas, & murmura montis
Hausissem, prius Ionij uada cœrula uectus,
Hospes ubi Aetnæus populi custodia, ciues
Vrbe Syracusia moderatur, talis in omnes,
Qualis amor patris in charam diffunditur æque
Progeniē, & teneris iam spes miratur ab annis.

Octaua Parecbasis.

Virgilius libro. VI.

Repetit ea, quæ dixit initio.

Alii Regem febri dicunt laborasse, nonnulli pedū dolore, aliqui calculari morbo:

Nona Parecbasis.

Decima Parecbasis.

Illum ego languentem stratis, propiusq; tuentem
Tartara, dona ferens, hymnos, pariterq; salutē,
Iuuissem. Quis non referat certamina primus
Pythica? & insignis taceat memoranda coronæ
Præmia? queis Cirrhæ uelox Pherenicus habenis
Immissis olim meruit cum laude potiri.

Nomen equi a ferēda uictoria ita dicti.

Vndecima Parecbasis.

Quod nisi perpetuis tenebris Saturnia proles
obruta iā stygias (miserū) penetrasset ad undas
Fretus Apollinea Dircæi carminis arte
Lumine splendidius Phœbeo regia tecta
Lustrassem, & populo fulsisset gratior omni

Duodecima Parecbasis.

Illa dies, membrisq; quies, & gaudia menti.
Parta meis opibus uobis quoq; læta fuissent,
Qui lucos hecate sacros, atq; arua tenetis
ortygiæ, Siculas per quam delapsus ad oras
Alpheus (si digna fides) miscetur amanti.

Decima tertia Parecbasis.

Quod superest, pia uota libens admitte, precesq;
Cœlicolum genitrix, cui noctu sacra puellæ,
Et Fauno pariter celebrant mea limina iuxta.

Domus poetę Posita erat prope tēplū Rheæ.

Si uero heroum licuit monimenta priorum
Tangere; si rerum supremā cacumina mente

Decimaquarta Parecbasis qua consolatur Regem.

„ Voluisti, mortali homini pars una bonorum
„ Sorte data, at duplici serie, longaq; sequuntur
„ Aduersa, hæc sapiens animis, & uiribus æqui
„ Sustinet, impatiens casu succumbit acerbo.
At tibi non Hieron felicia fata negarunt
Illa, quibus mortale genus plerunq; benignis
Auspicijs, cornuq; pio sors prodiga donat.
Exemplo Aeacides, & natus Agenore claro
Cadmus erunt, quorum Thebanis arcibus olim

Alter,in Hæmoniæ sinuosis collibus alter
Dulcia musarum miratus carmina fertur,
Tempore quo Cadmus gremio requieuit amatæ
Harmoniæ primum,Peleusq; amplexibus hæsit
Nymphæ,quæ,liquido placuit quia gurgite ferri
Forsitan,humanos aspectus luserat omni
Arte prius,mox consilijs euicta marini
Vatis ad inuisos properauit candida fines.
Quin etiam Diuum proles mortalia tecta
Vidit,& à superis Reges sua dona tulerunt.
Atq; ita post uarios casus,aduersaq; fata
In melius fortuna loco mutata reflexit.
Post tamen exortus subito noua gaudia mœror
Turbauit,Cadmo genitæ,crudelis Agauæ,
Atq; Ino,rabidis accensæ pectora flammis
Quòd tristi dulces fœdarunt cæde penates,
Exitium patriæ, & regnis peperere superbis.
At congressa Ioui Semele, dum nomine gaudet
Coniugis, horrenti uitam sub fulmine fudit.
Pelides, quem diua Thetis non fluctibus imis
Edidit insignem bello,sed thessala iuxta
Littora, stridenti confixus phæbe sagitta
Phæbe tua, ingentes luctus per castra ciere
Argiuum potuit, miserisq; inuoluere læta,
Præcipue cum flamma uiri sæuire per artus
Cœpit, & in cineres abierunt ossa tepenteis.
Ergo animi prudentis erit,qui robore tutus,
„ Hunc decet euentus rerum seruare secundos,
„ Et meminisse illos instar mutabilis auræ
„ Esse, ubi cõnstiterint supremo uertice tandem.

Decima quĩta Parecba sis.

Ouidius.XI. Metamorphoseon.

Peleo ducenti Thetin Neptunus equos donauit, Vulcanus machæram, Cadmo ducẽti Harmoniam, Venus aureum torquem.

Ouidius.III. & IIII. Metamorphoseon.

Cõclusio in qua latet prę ceptum.

Nonnulli so aum hũc aliter intelligunt.

Ipse ego, si lætos fortuna negauerit orbes,
Talis ero, si uero eadem stridentibus alis
Luserit, inuictis animis, & uoce superbus
Dira fremã, tumidasq; minas sub pectore uertã.
Et, quæ nos circum steterit fortuna, feremus.
At si diuitias, & amatæ munera terræ
Annuerint superi, si me clementia cœli
Iuuerit, æternos referent mihi secula honores.
Aspice, ut intrepidos bello, functosq; periclis
Nestora, & Argiuũ quẽ olim timuere Phalãges
Ductorem lyciæ classis Sarpedona, uatum
Lingua beat, notosq; duces, & fortia facta
Cernimus, insigni quia uirtus carmine nixa
Post hominum aspectus cœlesti considet arce.
Sed tamen hoc paucos donarunt munere fata.

FINIS.

FINIS.



